

quod tria inquirunt pertinentia ad dignitatem, quae sunt Personalitas. Gratia adoptionis: & Gratia praedestinationis.

Primò ergo quærit de Christi personalitate, Vtrum Christus secundum quod homo sit persona. Secundo quærit de adoptione, Vtrum Christus sit filius adoptionis. Tertio quærit de praedestinatione, Vtrum praedestinatio illa Christi, de qua loquitur Apostolus sit de persona, vel de natura. Secunda ibi: *Si verò quæritur, an Christus sit adoptiuus.* Tertia ibi: *Deinde quæritur Vtrum Praedestinatio.*

Circa primum duo facit, secundum, quod dupliciter hanc quaestionem pertractat, an Christum secundum hominem contingat esse personam. Secunda ibi: *Sed adhuc aliter.*

Circa primum duo facit, quia primò mouet quaestionem. Secundo obijcit ad utramque partem, ibi: *Quod enim persona sit.* Circa quod facit quatuor. Quia primò obijcit ad partem affirmatiuam, quòd Christus secundum quod homo, sit persona. Secundo ad partem negatiuam. Tertio quadrimembrem dat distinctionem de hac propositione, secundum. Quarto soluit ad obiectionem factam, quòd Christus secundum quod homo sit persona: secunda ibi: *Propter hæc inconuenientia.* Tertia ibi: *Secundum enim multiplicem habet rationem.* Quarta ibi: *Illud tamē nō sequitur.*

Tunc sequitur illa pars, *sed adhuc aliter.* In qua hanc quaestionem. Vtrum Christus secundum quod homo, sit persona, aliter pertractat. Circa quod duo facit. Quia primò mouet huiusmodi quaestionem, & obijcit ad partem affirmatiuam: Secundo obiectionem factam soluit ibi, *Ad quod dici potest.*

Tunc sequitur illa pars. *Si verò quæritur:* In qua quærit de Christo quantum ad gratiam adoptionis, & duo facit. Quia primò ait, quòd Christus non est filius adoptionis. Secundo obijcit ad partem oppositam. Ibi: *sed adhuc opponitur.* Circa, quod tria facit, quia primò ponit obiectionem. Secundo obiectionis solutionem. Tertio solutionis confirmationem. Secunda ibi: *Ad quod dici potest.* Tertia ibi: *Quod autem non sit adoptiuus.* & in hoc terminatur sententia praesentis lectionis, & distinctionis.

Aegid. super iij. Sent.

A DISTINCTIONIS X.

AC I. PARTIS PRINCIPALIS

QVAESTIO I.



VIA Magister in littera mouet quaestionem de persona Christi, de pertinentibus ad dignitatem ratione suae humanitatis. Vtrum secundum quod homo sit

persona. Vtrum sit filius adoptiuus: & quomodo sit praedestinatus. Ideo de his tribus quaeremus de personalitate, de adoptione, & de praedestinatione. Circa primum quaeruntur duo.

Primò. Vtrum Christus secundum quod homo sit Deus.

Secundò. Vtrum Christus secundum quod iste homo sit persona.

ARTIC. I.

Vtrum Christus secundum quod homo, sit Deus. Conclusio est negatiua.

C D. Thom. 3. p. q. 16. art. 11. Caiet. Med. Rag. Suar. ibid. D. Bon. in 3. sent. d. 10. art. 1. q. 1. Vasquez ad 3. p. q. 16. art. 11. tem. 1. disp. 69. cap. 1.



D primum sic proceditur Videtur quòd Christus secundum, quod homo, sit Deus. Nam super illo verbo ad Philipp. 2. *Propter quod Deus exaltauit illum,*

& donauit illi nomen, quod est super omne nomen. vult Glossa, quòd *nomen super omne nomen, est esse Deum*, quòd non per solam appellationem, sed per naturam est super omne nomen. Cum ergo Christus fuerit obediens Matri usque ad mortem, secundum quod homo, quia secundum quod homo mortuus est; sed secundum hoc datum est ei nomen, quod est super omne nomen, id est datum est ei esse Deum: ergo Christus secundum quod homo est Deus.

Præterea. Persona Christi est Deus per gratiam vnionis: sed gratia vnionis non conuenit ei, nisi secundum quod est homo: ergo secundum quod est homo, est Deus.

Præterea. Secundum quod est homo, dimittit peccata, iuxta illud Matth. 9. *Vt autem sciat, quòd filius hominis habet pote-*

Ll 2 sta-

statem dimittendi peccata : sed solus Deus est qui dimittit peccata, iuxta illud Iſaię : *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me* : ergo Chriſtus ſecundũ quod homo, eſt Deus.

IN CONTRARIUM eſt, quia Chriſtus ſecũdum quod homo, eſt Deus, eſt ab æterno. Si ergo ſecundum quod homo, eſſet Deus, ſecundum quod homo fuiſſet ab æterno, quod eſt falſum.

Præterea. Deus, & homo ſignificat naturas diſparatas, ſed in talibus non poteſt vnum illorum ſecundum alterum prædicari, nec alicui conuenit. Chriſtus ergo ſecundum quod homo, ideſt, ſecundum humanã naturã non eſt Deus, nec è cõuerso.

RESOLVTIO.

Propoſitio, Chriſtus ſecundum quod homo, eſt Deus, continet reduplicationem, qua ſi reduplicat conditionem naturæ diuinæ, vel humanæ, eſt falſa : ſi autem reduplicat unitatem perſonæ, & reſtringitur cum hac limitatione, Chriſtus in eo, quod Chriſtus, vel in eo quod hic homo, eſt Deus, ſic eſt vera.

Ariſt.

RESPONDEO, quod ſi vellemus ſequi viam Philoſophi, diceremus, quod huiusmodi reduplicationes, vel ſiũt propter dici vniuerſaliter, vel ſiũt propter dici per ſe, vel propter dici primo, vel propter dici ſecundũ quod ipſum. Et cum ſiũt propter dici vniuerſaliter, iſta vniuerſalitas, vel eſt ſubiectorum, & hæc vniuerſalitas appellatur dici, vel prædicari de omni, vel eſt talis vniuerſalitas tẽporum, & iſta vniuerſalitas appellatur dici, vel prædicari ſemper.

Propter quinque ergo poterũt fieri reduplicationes, vel propter dici de omni, vel propter dici ſemper, vel propter dici per ſe, vel propter dici primo, vel propter dici ſecũdum quod ipſum. Quomodo autẽ ſe habeant dici de omni, & dici ſemper, patet per iã dicta, quia dici de omni eſt prædicari vniuerſaliter quantum ad ſubiecta, ſed dici ſemper eſt prædicari, videlicet quantum ad tempora. Sed dici per ſe, quod erat tertio loco poſitũ, quantum ad huiusmodi prædicationes, addit ſuper illas duas vniuerſalitates ſubiectorũ, & temporũ cauſalitatẽ, ſiue cauſam. Nã hoc dici per ſe, non ſolum conuenit omni tali ſubiecto, & omni tẽpore, ſed etiã quod habet in ſeipſo

Dici de omni.
Dici ſemper.
Dici per ſe.

A cauſam talis prædicationis : hoc enim eſt cõpetere aliquid alicui per ſe, quod habere cauſam in ſe, vt æquilaterus habet tres per ſe, ideſt per cauſam exiſtẽtẽ in ſe, ideo eſt dici de omni, & ſemper, quia omnis, & ſemper æquilaterus habet tres : ergo ſic ſe habet per ſe ad de omni, & ſemper : ſed primò ſe habet ad per ſe, quia addit ſuper illud immediationẽ ſubiekti, vel ſubiectorũ.

Nam hoc eſt eſſe primò, quia non cõpetit ei per aliquod aliud ſubiectũ, ſed omnibus alijs ſubiectis competit ipſum, iuxta illud Philoſ. in Priorib. *Cui primò, ei alteri per ipſum, non ipſi per alterum.* Iſta ergo nõ poterunt ſtare ſimul, quod aliquid competat alicui per ſe primò, & tamen conueniat ei per alterum ſubiectum : ſed iſta duo bene ſtabũt ſimul, quod aliquid conueniat alicui primò, & tamen conueniat ei per alterã cauſam, non per aliud ſubiectũ : Vt hæc eſt vera : Triãgulus habet tres : primò, quia non habet tres per aliud ſubiectũ, ſed omne aliud ſubiectum, ſiue ſit vniuerſalius vt figura, ſiue ſit ſpecialius, vt æquilaterus, dicitur habere tres propter triãgulũ, & quia triangulus : habet ergo tres triangulus : primò, quia non habet hoc per aliquod aliud ſubiectũ, ſed alię ſubſtantię habet per ipſum, habet tamẽ hoc per aliam cauſam, vt per habere angulũ extrinſecũ, & ideo ad habere primo poſſumus addere habere ſecundum quod ipſum, vt habere ſecundum quod ipſum addat ſuper habere primo immediationẽ cauſę : Vt iſta quinque ſe habent per ordinẽ de omni quod dicit vniuerſitatẽ ſubiectorũ. Et ſemper quod dicit vniuerſalitatem tẽporũ : & per ſe ſecundum quod ſuper has duas vniuerſalitates addit cauſalitatẽ, quia hoc eſt per ſe, quod eſt de omni, & ſemper, & habet cauſam exiſtẽtẽ in ſe. Sed primo, quod erat in quarto loco poſitũ addit ſuper omnia iſta immediationẽ ſubiekti. Quia hoc eſt eſſe primò, non competere ei per aliud ſubiectũ, ſed omni alij ſubiecto competere per ipſum : ſed ſecũdum quod ipſum, quod erat quinto loco poſitũ, addit ſuper omnia iſta immediationẽ cauſę, quia hoc eſt competere aliquid alicui, ſecundum quod ipſum, quia non ſolum non competit ei per aliud ſubiectum, ſed nec etiã per aliã cauſam. Proſequi ergo de iſtis hoc modo philoſophico eſſet ſcientificum, ſed eſſet valdẽ lon-

Dici primò

B

C

D

Dici ſecundum quod ipſum.

longum : proposuimus tamen ea , quæ ad multa possunt esse vtilia .

Descendamus ergo ad quæstionem , propositam , Vtrum Christus secundum quod homo sit Deus , & distinguamus de hac reduplicatione *secundum* , prout distinguit Magister in tex. asserens , quod hæc reduplicatio *secundum* quadrupliciter sumi potest . Primò quidem , quia potest exprimerè conditionem , vel proprietatem naturæ diuinæ , vel humanæ . Secundò vnitatem personæ . Tertio habitum . Quarto causam . Et vt ponamus exemplum de omnibus his quatuor . Dicemus , quod in hac loquutione : Deus impassibilis , secundum quod homo fuit passus , possunt notari omnia ista quatuor . Nam primò notatur ibi conditio , & proprietates naturæ diuinæ , cum dicitur Deus impassibilis ; nam hæc est conditio , & proprietates naturæ diuinæ , quod sit quid impassibile . Notatur ibi etiam conditio , & proprietates naturæ humanæ , cum subditur , secundum quod homo fuit passus . Nam quia Deus impassibilis assumpsit carnem passibilem , ideo proprietates carnis assumptæ erat , quod esset passibilis , & quod posset pati . Et hæc omnia dicta sunt propter primam rationem huius reduplicationis , quæ est secundum quod ipsum , prout potest dicere conditionem , vel proprietatem humanæ naturæ , vel diuinæ . Secunda autem ratio huius reduplicationis *secundum* , posita in littera , quod potest dicere vnitatem personæ , notatur etiam in loquutione proposita . Nam cum dicitur Deus impassibilis , secundum quod homo , fuit passus , nisi esset vna , & eadem persona Christi , quæ esset Deus , & homo , nunquam Deus impassibilis , secundum quod homo fuisset passus . Tertia autem conditio , quod hæc reduplicatio *secundum* , potest importare habitum , declaratur in scriptis communibus in quæstionibus litteralibus , referendo hanc tertiam conditionem , ad tertiam opinionem , quæ posuit naturam humanam fuisse vnitam Verbo accidentaliter per modum habitus ; sed superuacuum est velle nos iuuare cum falsitate , quando possumus nos iuuare cum veritate ; salua enim reuerentia Magistri , illa tria dicta , quorum primum est , quod in Christo sunt duo

A supposita : secundum est , quod in Christo nõ est nisi vnum suppositum , licet sint ibi duæ naturæ . Tertium est , quod humana natura est vnita Verbo solum accidentaliter , & vt habitus : non placet nobis , quod hæc tria dicta vocentur opiniones , sed primum dictum , quia tertium non debent vocari opiniones , sed errores : secundum autem dictum , quod in Christo est vnum suppositum , vel vna persona , & duæ naturæ in vno supposito , vel in vna persona , non debet vocari opinio , sed veritas ipsa ; quia in hoc stat tota veritas Fidei nostræ quantum ad incarnationem , quod vna persona Verbi habuit in se duas naturas , diuinam , & humanam , & fuit , & est simul Deus , & homo ; quod totum asserit secundum dictum , quod vocat Magister (licet fortè minus congruè) opinionem secundam . Redeamus ergo ad propositum , & dicamus , quod in loquutione proposita , cum dicitur Deus impassibilis , secundum quod homo fuit passus , in hac reduplicatione *secundum* , potest notari prima conditio , videlicet , proprietates naturæ diuinæ , vel humanæ , & secunda conditio , videlicet vnitatem personæ . & tertia conditio , videlicet habitus : quia si fuisset nudus Deus , & non fuisset indutus carnem passibilem , & habitu inuentus vt homo , vt dicitur ad Philipp. 2. non fuisset passus ; ergo hæc loquutio , Deus impassibilis , secundum quod homo fuit passus , potest denotare tertiam conditionem , scilicet habitum , quia indutus carne passibili , & habitu inuentus vt homo , fuit passus . Quarta autem conditio , quod hæc reduplicatio *secundum* , potest quoque denotare causam , etiam patet in loquutione proposita . Nam hæc fuit causa , vt Deus impassibilis potuerit pati , quia fuit factus homo , & passibilis , & mortalis .

Descendamus ergo ex dictis his ad solutionem quæstionis propositæ , & dicamus , quod cum queritur , Vtrum Christus , secundum quod homo , fuerit Deus , si hæc reduplicatio *secundum* , sumatur secundum primam conditionem , videlicet , vt dicat conditionem , vel proprietatem diuinæ naturæ , vel humanæ , patet , quod falsa est dicta reduplicatio , videlicet Christus , secundum quod homo est Deus , nam sensus esset Christus , secundum quod

Triã dicta relata à Magistro de incarnatione Verbi , non debet dici opiniones ; sed primi , & tertium debet dici errores , secundum autem debet dici veritas Fidei .

Philip. 2.

Si reduplicatio dicit conditionem naturæ diuinæ , vel humanæ , falsa est allata propositio .

Hæc reduplicatio , secundum , quadrupliciter sumi potest ex doctrina Magistri .

Opinio a horum .

Resellitur dicta opinio .

homo est Deus, idest secundum proprietatem, & conditionem naturæ humanæ est Deus, quod non solum est falsum, sed etiam non est intelligibile, quia impossibile est, cum in Christo sint duæ naturæ, humana scilicet, & diuina, quòd secundum conditionem, & proprietatem vnus naturæ, competat ei conditio, & proprietas alterius naturæ. Igitur Christus, secundum quod homo, hoc modo erit homo tantum, & non Deus, & è conuersò, secundum quòd Deus non erit homo, sed Deus tantum, quia hæc est conditio, & proprietas vtriusque naturæ, quòd secundum vnã naturam non competat Christo, quæ sunt alterius naturæ: sed si hæc reduplicatio, *secundum*, dicat vnitatem personæ, sic videtur esse concedenda, quòd in Christo vna persona est Deus, & homo, & è conuerso; propter quod quantum ad vnitatem personæ, videtur hæc esse concedenda. Christus, secundum quod homo, est Deus: sed licet hæc verificetur in Christo, quòd in eodem vna, & eadem persona est homo, & Deus, tamen nisi restringatur hæc reduplicatio, Christus, secundum quòd homo, est Deus, non potest veritatem habere. Nam quicquid competit Sorti, secundum quod homo, oportet, quòd id competat omni homini. Per locum ergo à simili, si Christus in eo quod homo, esset Deus, omnis homo esset Deus, quod falsum est. Non poterit ergo verificari reduplicatio in ista vniuersaliter. Christus secundum quod homo est Deus: sed si restringatur, hæc reduplicatio, quòd Christus in eo quod Christus, vel in eo, quod hic homo, est Deus, & hoc referatur non ad conditionem, & proprietatem naturæ, quia proprietates, & conditiones diuinæ, & humanæ naturæ sunt aliæ, & aliæ; sed ad vnitatem personæ, verum est quod dicitur, quòd in Christo vna, & eadem persona est homo, & Deus, & è conuersò. Quantum ergo ad vnitatem personæ Spiritus secundum quod est homo, est Deus, & è conuersò.

RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum dicendum, quòd in Glossa illa sunt multa verba, per quæ potest at-

A qui, quòd Christus, secundum quod homo, est Deus. Nam primò est ibi verbum præallegatum, videlicet, secundum quod homo fuit mortuus, & obediens Patri, vsque ad mortem, & ex hoc donatum est ei nomen, quod est super omne nomen, idest donatum est ei hoc nomen esse Deus. Sciendum ergo, quòd multoties in sacra Scriptura tunc dicitur esse aliquid, quando innotescit; erat enim Christus ante mortem, & ante Resurrectionem verus homo, & verus Deus, sed post mortem, & post Resurrectionem, prædicantibus Apostolis, & facientibus tot miracula ad inuocationem nominis Christi, iuxta illud de claudo stante ad portam Templi, quæ dicitur Speciosa, cui dixit Petrus: *Aurum, & argentum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do, In nomine D. Iesu Christi, &c.* Immo non solum in consolidatione plantarum illius claudi, sed tot alia miracula, ad inuocationem Christi fiebant per Petrum, & per Apostolos, quòd ad ymbra Petri ponebantur infirmi, vt cum veniret Petrus, saltem ymbra eius obumbraret eos, & qui ibi ponebantur, saluabantur.

Erat ergo Christus ante mortem, & ante Resurrectionem verus Deus, & verus homo, sed post mortem, & Resurrectionem ista veritas magis innotuit, quòd homo ille erat verus Deus. Propter quod Apostolus in cap. præalleg. ad Philipp. ait de Christo, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Solutum est ergo argumentum eo modo, quo inductum est.

Verum, quia in Glossa præallegata dicitur de Christo, illum accepisse nomen Dei, quod est supra omne nomen, ideo ex hoc verbo, quod est accipere, vel assumere scripta communia dant aliam solutionem. Nam assumere, vel accipere importat motum, sed non mouetur aliquid ad id quod est, sed ad id, quod non est, vt album mouetur ad nigrum, non tamen est nigrum: quia primo ille homo accipit nomen Dei, ex hoc non arguitur, quòd Christus secundum quod homo sit Deus; sed magis quòd non sit Deus; sed ista solutio est insufficiens, quia non tangit vim propositionis reduplicatiuæ: ideo dicendum est, quòd prout ista dicitio, *secundum*, importat proprietatem, vtrius-

Si reduplicatio dicat vnitatem personæ, cum hac restrictione, scilicet Christus in eo quod Christus, vel in eo, quod hic homo, est Deus, sic propositio allata erit vera.

Per diuina Glossa non colligitur, quòd iussur: sed quòd cum Christus ante mortem esset verus Deus, post mortem mansit miraculis in nomine eius factis, se fuisse verum Deum.

Solutio aliorum.

Dicitio illa, secundum, si reduplicat proprietatem naturæ, sic est falsa propositio, si vero reduplicat personam, sic est vera

utriusque naturæ, quia alia est natura diuina, & humana, Christus in quantum homo, vel secundum quod homo, non est Deus, nec è conuersò: verum si hæc dicitio, secundum, non importat proprietatem naturæ, sed vnitatem personæ, & specialiter talis personæ, & huiusmodi personæ Christi, quia vna, & eadem persona Christi est Deus, & homo, & è conuersò, quantum ad huiusmodi vnitatem, Christus secundum quod homo est Deus, & è conuersò.

Negatur maior argumentum

Ad secundum dicendum, quòd hoc nomen, *Christus*, significat personam æternam in duabus naturis, in vna æternam quantum ad naturam diuinam, & in alia temporalem, quantum ad naturam humanam. Christo ergo, vel personæ Christi esse Deum, quantum ad naturam diuinam non competit per aliquam gratiam, sed ab æterno, sed Christum, vel personam esse simul hominem, & Deum, hoc competit ei per gratiam vniõnis, secundum quod humanitas, per quam Christus est homo, vnita est naturæ diuinæ in supposito, & persona Verbi, per quam est Deus, vt hoc modo simul homo, & Deus sit, & è conuersò.

Matth. c. p. vlt.

Ad tertium dicendum, quòd, Glossæ, sensum illius verbi Matth. cap. 9. *Vt autem sciatis, quòd filius hominis habet potestatem dimittendi peccata*, exponunt, non de homine, quòd dimitat peccata, sed de Deo. Dicebat enim Christus: *Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata*, quia ille filius hominis erat Deus. Propter quod Hieronymus exponens præfatum locum, allegat verba Isai.

D. Hier. Isai. c. 43. Christus dimittebat peccata in quantum Deus: & sic intelligitur auctoritas Scripturæ allata in argumentum. D. Chryl. in Matth.

dicētis: *Ego sum qui deleo iniquitates tuas*. Ex quibus vult Hieronymus, quòd cum ille filius esset Deus dimittebat peccata in eo, quod Deus. Et Chrysoströmus ibidem ait, *Si Christus non esset æqualis Deo Patri, oportebat eum dicere. Longe sum ab hac parte dimittendi peccata*, Ergo Christus hoc faciebat, non vt homo, nec vt minor Patre, sed vt Deus, & æqualis Patri.



ARTICVLVS II.

Verum Christus secundum quod iste homo, sit Deus: Conclusio est affirmatiua.



SECUNDO dubitatur. Vtrum Christus secundum quod iste homo sit Deus. Et videtur, quòd non. Nam omne, quod prædicatur de aliquo, secundum aliquid, oportet, vt secundum illud sit definitio eius, aut pars definitionis, aut proprium, idest, per se accidens eius: Verum est enim, quòd Sortes, secundum quod homo, est animal rationale, quia hæc est definitio eius. Et verum est, quòd Sortes, secundum quod est homo, est animal, & est rationale, quia quodlibet istorum est pars definitionis hominis, & verum est, quòd Sortes secundum quòd homo, est risibilis, quia hoc est per se accidens eius, vel proprium eius; sed Deus nullo istorum modorum se habet ad istum hominem, quia nec est definitio, nec pars definitionis eius, nec per se accidens eius: ergo &c.

Præterea. Secundum quod Deus Christus caret Matre. Si ergo secundum quod iste homo est Deus: ergo secundum quod iste homo caret matre, quod est falsum.

Præterea. Remoto eo, secundum quòd aliquid conuenit alicui, non vltius conuenit ei: sed remoto à Christo, quòd sit hic homo, adhuc conuenit ei, quòd sit Deus, quia ab æterno fuit Deus, non autem ab æterno fuit homo: ergo Christus secundum quod hic homo, non est Deus.

IN CONTRARIUM est, quia hæc prædicatio, iste homo est Deus, non est prædicatio accidentaliter, quia humanitas secundum quam Christus est homo, non est vnita Verbo accidentaliter, sed essentialiter, idest substantialiter, cum sit assumpta in vnitatem personæ, sed prædicatum essentialiter, vel substantiale potest præ-

prædicari de quocunque, cum reduplica-
tione substantiæ, quia Sortes est animal
in quantum est homo, cum animal prædi-
cetur essentialiter de homine; ergo Chri-
stus in quantum est iste homo, est Deus,
cum Deus substantialiter, vel essentialiter
sit vnitus isti homini, iuxta illud Symboli,
quod Christus est vnus, non confusione
substantiæ, sed vnitæ personæ: ergo &c.

Præterea. Iste homo, demonstrato
Christo, demonstrat suppositum æter-
num, quia non est in Christo nisi vnus
suppositum, quod est æternum: sed hæc
est vera, Christus secundum quod est
suppositum æternum est Deus: ergo hæc
erit vera, Christus secundum quod est
iste homo est Deus.

RESOLVTIO.

*Christus, vt Christus, est Deus & homo: pa-
tet per D. Athan. in Symb. Sicut anima
rationalis, & caro vnus est homo, ita
Deus, & homo vnus est Christus, cuius
persona non constituitur per humanita-
tem, quia hæc est temporalis, & illa
est æterna: neque eius natura est vna
tertia, ex diuinitate & humanitate
coalescens, sicut ex anima & carne con-
surgit tertia natura, quæ est humani-
tas: sed est vna persona diuina in dua-
bus naturis, diuina, & humana, qui-
bus Christus dicitur verus Deus, & ve-
rus homo.*

D hunc secundum Articulum di-
A ci potest, quod nos sic proposui-
mus quæstionem, quia Scripta
communia sic eam proponunt, vt autè re-
ducamus eam ad patentem formam, dice-
mus, quod idem est dicere. Vtrum Sor-
tes in eo quod huiusmodi sit hoc, vel il-
lud, & Vtrum Sortes in eo, quod Sortes
sit hoc, vel illud, & à simili erit idem
quærere. Vtrum Christus in eo quod hic
homo sit Deus, & Vtrum Christus in eo,
quod Christus, vel secundum quod Chri-
stus sit Deus: ista autem quæstione sup-
posita nullum habet dubium: Nam cer-
tum est, quod Christus secundum quod
Christus est homo, & Deus: iuxta illud
Symboli: *Est ergo fides recta, vt creda-
mus, & confiteamur, quia Dominus noster*

D. Athan.
in Symb.

A *Iesus Christus Dei Filius, Deus & homo
est. Est ergo de ratione ipsius Christi,
quod sit Deus, & homo. Et si definire-
tur Christus in definitione eius, poneretur
Deus & homo. Est enim Christus vna
persona in duabus naturis, scilicet in
Deitate, & humanitate: & ideo in eodem
Symbolo dicitur: Sicut anima rationalis,
& caro vnus est homo, ita Deus, & homo
vnus est Christus: Sicut ergo homo de-
bet definiri per animam rationalem, &
carnem, ita si Christus definiretur, per
vtramque naturam, diuinam scilicet, &
humanam definiretur. Licet ergo Chri-
stus sit Deus & homo, non duo tamen, sed
vnus est Christus, vnus autem non confu-
sione substantiæ, sed vnitæ personæ. In
hoc verò differt similitudo posita in
Symbolo. Sicut anima rationalis, & caro
vnus est homo, ita Deus, & homo vnus
est Christus. Differt enim hæc similitudo
quantum ad duo, videlicet quantum ad con-
stitutionem personæ, & quantum ad con-
stitutionem naturæ. Quantum ad consti-
tutionem personæ differt, quia tam ani-
ma rationalis, quam caro faciunt ad con-
stitutionem personæ cuiuslibet puri ho-
minis, sed tam Deitas, quam humanitas
non faciunt ad constitutionem personæ
Christi. Facit enim Deitas ad constitu-
tionem personæ Christi: nam cum per-
sona Christi sit æterna, Deitas, quæ est
æterna, potest facere, & facit ad consti-
tutionem personæ eius: sed humanitas,
quæ est rei temporalis ad constitutionem
personæ æternæ facere non potest. Huma-
nitas ergo non potest facere ad constitu-
tionem personæ Verbi, sed assumitur à
persona Verbi ab æterno in esse consti-
tuti. Propter quod licet humanitas non
sit accidens, in hoc tamen habet quen-
dam modum accidentis, quod aduenit
personæ Verbi post esse completum, sicut
aduenit, quodlibet accidens suo subiecto
post esse completum. Benè ergo dictum
est, quod similitudo, posita in Symbolo de
Deo, & homine, & anima rationali, &
carne, deficit quantum ad constitutionem
personæ, quia vtrūque, anima scilicet ra-
tionalis & caro facit ad constitutionem
personæ cuiuslibet puri hominis: sed Deitas,
& humanitas, secundum quas Christus
est Deus, & homo, non faciunt ad consti-
tutio-*

Christi defi-
nitio.

Similitudo
animæ, &
carnis, re-
spectu homi-
nis, cum di-
uinitate, &
humanitate
respectu
Christi du-
pliciter dif-
fert.

Humanitas
non facit ad
constitutio-
nem perso-
næ æternæ,
cum ipsa sit
temporalis.

tutionem personæ Verbi, sed Deitas tantum. Humanitas verò aduenit personæ Verbi post esse completum, & non facit ad constitutionem eius, sed recipitur in unitatem personæ illius ab æterno iam in esse constituto. Benè ergo dictum est, quòd similitudo illa posita in Symbolo deficit quantum ad constitutionem personæ.

Deficit secundò quantum ad constitutionem naturæ, nam non sic anima rationalis, & caro, vnus est homo, sicut Deitas, & humanitas, secundum quas Christus est Deus, & homo, & vnus est Christus. Nam licèt possemus multas differentias assignare, assignata tamen differentia, quantum ad constitutionem personæ, assignabimus differentiam quantum ad constitutionem naturæ. Nam ex anima rationali, & carne constituitur vna natura communis, & tertia, sed ex Deitate, & humanitate Christi non constituitur vna natura communis, & tertia, propter quod Damascen. lib. 3. cap. 3. ait: *In Domino autem nostro Iesu Christo non est communem speciem accipere.* quod intelligendum est quantum ad Deitatem, & humanitatem Christi, ex quibus non fit vna natura communis, & tertia, sicut ex anima rationali, & carne fit talis natura communis, quæ vocatur humanitas; Si ergo quæritur, sicut quæstio proponitur. Vtrum Christus, secundum quod Christus, sit Deus, & homo, iam patet responsio per D. Athan. quòd non habet dubium, quia Christus est Deus, & homo.

RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum dicendum, quòd si definiretur Christus natura, diuina, & humana, & quòd esset Deus, & homo, poneretur in definitione eius, verum est tamen, quòd Deus non potest definiri: Nam idem est definiri, & finiri. Definitio enim apud Philosophum vocatur terminus, quia sicut res constituitur, finitur, & terminatur per suos terminos, ita definitum finitur, & terminatur inter suas partes definientes, inter quas sicut inter quosdã fines, & quosdam terminos constituitur: Deus ergo, qui est infinitus, definiri, finiri, vel terminari non potest; sic etiam non potest describi,

A quia hæc videtur differentia inter definitionem, & descriptionem, quia definitio est per essentialia, descriptio autem esse potest per accidentalibus, secundum quem modum Deus non potest describi, quia in Deo nihil est per accidens; possumus tamen dicere, quòd aliqua circumloquutio potest esse de eo, quæ competit soli Deo, sicut dixit Anselmus: *Deus est quicquid melius est esse, quàm non esse*, & sicut dicit Philosophus in lib. 5. Metaph. cap. de perfecto: *Est quoddam perfectum, in quo congregantur perfectiones omnium generum*, & vt exponit Commentator ibidem: *Ista est dispositio primi principij: idest Dei.* Ex hoc ergo verificatur dictum Anselmi, quòd Deus est quicquid melius est esse, quàm non esse, quia omnis perfectio secundum quod huius est quoddam bonum. Deus ergo, in quo congregantur perfectiones omnium generum, non solum, quæ sunt actu, sed quæ sunt possibles, quia est omnis perfectio, est omne bonum, & per consequens est, quicquid est melius esse, quàm non esse. Eo ergo modo, quo saltem circumloquutiones possunt dici de Deo, & definitiones de homine, si aliquis circumloqueretur Christum, in eo quod Deus, & definirer eum in eo quod homo, cum Christus sit Deus, & homo, diuina natura, & humana ponerentur in definitione, & circumloquutione eius, & hæc fortè voluit dicere Damasc. lib. 1. cap. 4. vbi ait: *Quod igitur est Deus, manifestum est, quid verò est secundum substantiam, & naturam incomprehensibile est, & omninò ignotum.* Et in eodem cap. subdit: *Et si enim Deum bonum, et si iustum, et si sapientem, et si quicumque dixeris, non naturam dicis Dei, sed ea, quæ sunt circa naturam.* Et Dionys. 5. de diuin. nom. ait: *Deus nec fuit, nec erit, magis autem nec est.* Propter quod sciendum quòd nos non intelligimus Deum, nisi secundum ea, quæ videmus in Creaturis, quia vt dicitur 1. de Angelica hierarchia: *Etenim nec possibile est nobis aliter lucere diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum analogicò circumuolutum, & his, quæ secundum nos sunt prouidentia paterna connaturaliter, & propriè preparatum;* appellat enim ibi Dionys. *sacra velamina* ea, quæ cognoscimus de Creaturis,

Definitio- nis, & descriptionis differentia.

Circumlo- quutio potest esse de Deo. D. Ansel.

Arist. 5. Me- ta. c. de per- fectio. Auer.

B

C

Ad argumẽ- tum negatur minor, quia Christus potest per circumloquutionẽ definiri. D. Damasc. lib. 1. c. 4.

D

Dion. 5. de diu. nom.

Ex anima, & carne constituitur vna natura communis, & tertia, sed ex Deitate, & humanitate non constituitur tertia natura.

Deus non potest definiri, neque describi.

Velamini-
bus anago-
gicis duci-
mur ad Dei
cognitionē

Anagogiz
echymon.

turis, per quæ affurgimus in cognitionem Dei. Secundum enim hæc velamina anagogica, idest sursum ducentia, dicitur enim anagogicum ab *ana*, quod est sursum, & *goge*, quod est ductio; unde anagogicum, idest sursum ductiuum. Ea ergo quæ videmus in Creaturis, per quæ affurgimus in cognitionem Dei, sunt sacra, quia ducunt nos in cognitionem Sanctorum, idest diuinorum, sunt velamina, quia non ducunt nos in cognitionem diuinorum aperte, & secundum se, sed ut sunt velata, per ea, quæ videmus in Creaturis. Tertio talia non sunt solum sacra, & velamina, sed etiam sunt anagogica, idest sursum ductiua. Quarto sunt secundum nos paterna prouidentia connaturaliter, & proprie preparata; Deus enim, tanquam pius Pater, videns, quod non possumus, dum sumus in hoc mortali corpore, reuelata facie speculari, quia quamdiu sic sumus, peregrinamur à Domino, inspirauit Scripturam sacram, per quam innotescit nobis Deus, modo possibili secundum nos.

Ad hoc etiam possunt referri verba Damasceni dicentis: *Et si enim Deum bonum, et si iustum dixeris, &c. non naturam dicis Dei, sed ea, quæ sunt circa naturam*. Nam per omnia ista nominamus perfectiones Dei, quas non intelligimus eo modo, quo sunt in Deo, sed eo modo, quo sunt in Creaturis, secundum quem modum magis aliquid dicunt circa Deum, quam ipsum Deum: ad hoc etiam possunt adduci verba Dionysii, quod Deus non fuit, quia non transit ibi aliquid in præteritum, nec erit, quia non expectatur aliquid in futurum. Magis autem nec est, quia nec sunt ibi perfectiones eo modo, quo nobis sunt cognitæ, & eo modo, quo nobis innotescunt per Creaturas.


Et per hæc patet solutio ad primum argumentum, quia eo modo, quo homo ille potest definire, & eo modo, quo quis potest Deum circumloqui, si quis definiret, vel circumloqueretur Christum, qui est Deus, & homo, diuina natura, & humana includerentur, & non tenerentur in illa definitione, vel circumloquutione.

Et per hæc potest patere solutio ad secundum: nam cum dicitur iste homo, vel Christus, demonstratur suppositum dua-

rum naturarum, diuinæ scilicet, & humanæ, & ideo si definireremus ipsum, vel circumloqueremur ipsum, vtraque natura, vel vtrumque suppositum, quod esset Deus, & homo, intraret definitionem, vel circumloquutionem eius. Et ideo vtrumque arguere possumus, & vtrumque negare, non simpliciter, sed cum reduplicatione, simpliciter enim, verè loquendo, verè Virgo, est Mater Dei, & verè Deus, & pater hominis: sed cum reduplicatione, Christus caret Matre, & habet Matrem, caret Matre in eo quod Deus, & habet Matrem in eo, quod homo, sic etiam caret Patre, & habet Patrem, caret Patre, in eo quod homo, habet Patrem in eo quod Deus.

Ad tertium dicendum, quod remoto à Christo toto eo, quod importatur, per hunc hominem, vel per hunc Christum, non remanebit quod sit Deus, nec remanebit, quod sit homo, quia vtrumque importatur per Christum, ut sit Deus, & homo, quamuis hæc remotio sit impossibilior, quam ex hoc impossibilia cogitare. Tamen si quæretur, Vtrum posset Christus naturam illam dimittere, quam assumpsit, plana esset solutio, quia posset de potentia absoluta: nam sicut non coactè, sed voluntariè assumpsit, ita absolute loquendo, non cogitur ad tenendum. Possent enim ad hoc assignari multæ incongruitates, sed non possent assignari, absolute loquendo, aliquæ impossibilitates.

Supposita ergo hac veritate, quod Christus sit Deus, & homo, licet ab æterno fuerit Deus, & ex tempore fuit homo: si remoueretur à Christo totum, quod includitur in significato eius, non remaneret Deus, nec homo.



Christi care-
re Matre
dupliciter
intelligi po-
test, vel sim-
pliciter,
vel cum red-
plicatione:
primo non
caret: secun-
do ad huc du-
pliciter, vel
in eo, quod
homo, & sic
negatur: vel
in eo, quod
Deus, & sic
conceditur.

Negatur ni-
nor argumē-
ti, quia ne-
gato à Chri-
sto totū id,
quod impor-
tatur per
hunc homi-
nem, tolli-
tur humani-
tas & diui-
nitas.

De potētia
Dei absolu-
ta posset
Verbum di-
mittere natu-
rā assum-
ptam.

DISTINCTIONIS X.

PRIMAE PARTIS

QVAESTIO SECUNDA

PRINCIPALIS.

Quae habet Articulum unicum primo inventum, & duas Dubitationes Laterales . .

ARTICVLVS I.

ET VNICVS.

Vtrum Christus secundum quod homo, sit persona. Conclusio est negativa.

D. Thom. 3. p. q. 16. art. 12. Caiet. Silu. Med. ibid. Rag. D. Bon. in 3. sent. d. 10. art. 1. q. 2. Vasquez ad 3. p. q. 16. art. 12. tom. 1. disp. 69. c. 2.

SECUNDO principali-
ter quaeritur, An Christus
secundum quod homo sit
persona. Et videtur, quod
sic, quia *persona*, secun-
dum Boetium, est *ratio-*
nalis natura indiuidua substantia, sed
Christus etiam secundum quod homo, est
huiusmodi: ergo &c.

Præterea. Quod conuenit alicui secun-
dum quod homo, conuenit omni homi-
ni: sed Petrus, vel Ioannes, vel aliquis
alius homo est persona in eo quod homo:
ergo hoc competit omni homini, etiam
ipsi Christo: erit ergo Christus persona
in eo quod homo.

Præterea. Christus in eo quod homo,
vel secundum quod homo comedit, & est
mortuus, passus, & sepultus: secundum
etiam quod Deus est aliquid operatus,
quia suscitauit mortuos, & aliquid com-
petit ei, quia creauit stellas, & est æqualis
Patri, nec tamen propter hoc (vt vide-
tur, possumus arguere, quod Christus sit
duo, quia propter omnia hæc, non duo
tamen, sed vnus est Christus: ergo à si-
mili, si Christus, secundum quod homo,

A est persona, & secundum quod Deus, est
persona, non propter hoc duo, sed vnus
est Christus. Sed non potest aliquid in-
conueniens argui ex talibus dictis, nisi
quod Christus sit duo: ergo &c.

IN CONTRARIVM est, quia
quicquid competit Christo, secundum
quod homo, hoc est assumptum: Verbum
autem non assumpsit personam, sed natu-
ram: ergo esse personam non competit
Christo secundum quod homo.

B Præterea. Impossibile est, quod *idem*
numero conueniat alicui, secundum di-
uersas naturas duas, sed in Christo non
est nisi vna, & eadem persona: numero
ergo esse personam non potest competere
Christo secundum vtramque naturam: at
in Christo non est nisi vna, & eadem per-
sona numero: ergo esse personam non po-
test competere Christo secundum vtram-
que naturam, sed competit ei secun-
dum quod Deus, & secundum naturam
diuinam: ergo non poterit hoc ei compe-
tere secundum quod homo, & secundum
naturam humanam.

Dub. I. Lateralis.

*Vtrum Christus secundum quod homo
sit aliquid indiuiduum. Conclu-
sio est negativa.*

D. Bon. in 3. sent. d. 10. art. 1. q. 3.

VLTIMVS autem
posset aliquis dubita-
re. Vtrum Christus,
secundum quod ho-
mo, sit aliquid indiui-
duum. Et videtur,
quod sic, quia Chri-
stus secundum quod homo, est aliquid
sed non est aliquid vniuersale: ergo est
aliquid particulare, & indiuiduum.

Præterea. In indiuiduo nihil est aliud,
nisi natura speciei, & accidentia indiui-
duantia: sed in Christo, secundum quod
homo est natura speciei; quia est in eo
natura humana, & sunt in eo accidentia
indiuiduantia ipsam naturam: ergo Chri-
stus, secundum quod homo, est indiuiduum.

Præ-

Boet.

Præterea . Quicquid competit naturæ humanæ, competit Christo, in quantum homo: sicut esse passibile, & esse mortale, quia competit naturæ humanæ, competit Christo in quantum homo: sed esse quoddam indiuiduum competit naturæ humanæ: ergo &c.

IN CONTRARIUM est: quia indiuiduum in genere rationalis naturæ, nihil est aliud, quàm persona, sed Christus secundum quod homo, non est persona: ergo nec indiuiduum.

Dub. II. Lateralis .

*Utrum Christus secundum quod homo, sit suppositum, vel res naturæ .
Conclusio est negatiua.*

D. Bonauent. vbi supra .



ALTERIVS autem, posset aliquis dubitare. Vtrum Christus secundum quod homo, sit suppositum, vel res naturæ . Et videtur, quod sic, quia suppositum, vel res naturæ dicitur aliquis, ex eo quod habet in se naturam diuinam: sed Christus secundum quod homo, habet in se naturam humanam: ergo secundum quod homo, est suppositum talis naturæ, vel res talis naturæ .

Præterea . Natura humana ita verè est in Christo, sicut accidentia humanæ naturæ: sed Christus, secundum quod homo, habet accidentia humanæ naturæ, & est subiectum talium accidentium: ergo, prout habet in se verè humanam naturam, erit suppositum, vel res humanæ naturæ .

Præterea. Christus secundum quod homo est res quedam, & suppositum quoddam: sed non est res, vel suppositum nullius naturæ: ergo secundum quod homo est suppositum, vel res humanæ naturæ .

IN CONTRARIUM est, quia suppositum humanæ naturæ idem est, quod hypostasis, vel persona; sed Christus secundum quod homo, non est hypostasis,

A nec persona, nec suppositum, nec res naturæ: ergo &c.

Præterea . Quæ conueniunt Christo, secundum quod Deus, non conueniunt Christo secundum quod homo: sed Christus secundum quod Deus, potest dici persona, hypostasis, suppositum, & res diuinæ naturæ; ergo hæc, quæ competunt ei secundum quod Deus, non competunt ei secundum quod homo .

B *Præmittuntur, quedam notabilia pro solutione articuli principalis, & aliarum dubitationum lateralium .*

RESPONDEO, quod hic sunt motæ quatuor quæstiones, & hoc ordine, & hoc medio . Nam prima dubitatio est . Vtrum Christus secundum quod homo, sit persona. Secunda. Vtrum Christus secundum quod homo, sit indiuiduum. Tertia. Vtrum Christus secundum quod homo, sit suppositum . Quarta . Vtrum Christus, secundum quod homo sit res naturæ, & hæc duæ ultimæ sub vno quodam inuolutæ tractabantur, propter quod non fiebant argumenta, nisi ad tres dubitationes, quamuis secundum veritatem essent quatuor, sed istæ eadem quatuor sub alio ordine tractatæ sunt in 6. distinctione, quæst. 1. In qua descenditur ad opinionem primam, sed ponuntur illæ quatuor dubitationes sub alio ordine, & sub alijs verbis. Est enim ibi prima dubitatio . Vtrum in Christo sint duæ hypostases . Secunda . Vtrum in Christo sint duo supposita . Tertia . Vtrum in Christo sunt duo indiuidua . Quarta . Vtrum in Christo sint duo res naturæ: sed si consideremus vim harum dubitationum in 6. distinctione quæstiarum, & has quatuor in hac 10. distinctione iam quæsitæ, eandem vim habent dubitationes illæ in 6. distinctione quæsitæ cum istis in hac 10. distinctione quæsitæ . Nam hypostasis, & persona in rationali natura idem important . Idem est ergo quæerere: Vtrum Christus, secundum quod homo, sit persona, quæ est prima in hac 10. distinctione: & quæerere . Vtrum in Christo sint duæ hypostases, quæ fuit prima in 6. distinctione loco præassignato . Nam propter hoc negamus, Christum, secundum quod homo, non esse per-

Quæstiones illæ eandem vim habent, ac quæstiones similes resolutæ in 6. distinctione.

personam, ne cogamur in Christo ponere duas personas: cum enim cogamur dicere, Christum secundum quod Deus, esse personam, si confiteamur Christum secundum quod homo, esse personam, cogeremur ibi concedere duas personas, quod omnes catholicè sentientes negant. Cum ergo Christus sit rationalis naturæ, quia est homo, & in rationali natura, idem sit hypostasis, quod persona, idem est querere, Vtrum in Christo sint duæ hypostases, quod quærebat prima petitio in loco præassignato 6. Distinctionis. Vtrum Christus, secundum quod homo, sit persona, quod quærit prima excitata in hoc loco 10. Distinctionis. Secundò quære, an in Christo sint duo supposita, quod quærit secunda dubitatio loco præassignato 6. Distinctionis, qui locus est, vbi primò quæritur de pertinentibus ad primam opinionem, & idem quære, an Christus, secundum quod homo, sit suppositum, quod quærit tertia dubitatio in hoc loco 10. Distinct. Tertio quære, an in Christo sint duo indiuidua, quod quærit dubitatio tertia in loco præassignato, est idem quære, an Christus secundum quod homo, sit indiuiduum, quod quærit secunda dubit. in hoc loco 10. dist. Quartò, & vltimò quære, an in Christo sint duæ res naturæ, quod quærit quarta petitio in loco præassignato 6. Distinct. est idem quære, an in Christo secundum quod homo sit res naturæ, quod quærit etiam quarta petitio in hoc loco 11. Dist. Assignato ergo modo quomodo hæc quatuor dubitationes positæ in hoc loco 10. Distinctionis possunt reduci ad illas quatuor positas in loco præfato 6. Distinctionis, vt quæstionum veritas liquidò pateat, præter hæc, quæ dicta sunt, intendimus profèqui de duobus, quorum primum est, cum omnia præfata vocabula, de quibus factæ sunt petitiones, significant naturam, vel rem significatam, quia plura alia vocabula sunt talia, sic exprimentia naturam, vel rem significatam, bonum est assignare numerum talium vocabulorum. quod faciendo, reassumemus multa dicta in loco præallegato 6. Distinctionis, per quæ resumpta intelliguntur melius, quæ sunt dicenda in hac materia.

Dicenda pro
ponit in lo
cutione quæ
stionum præ
d. etiam.

Aegid. super iij. Sent.

Ateria in hoc loco 10. Distinctionis: & addemus aliqua, per quæ addita intelliguntur melius quæ sunt dicta in loco præallegato 6. Distinctionis. Secundò his dictis addemus, quomodo sit facta Incarnatio Christi, de qua sunt omnes quæstiones in hoc tertio motu, quia facta est talis incarnatio per personam diuinam, & æternam, & increatam supplet vices suppositi, vel suppositorum temporalium, & creaturum.

Propter primum sciendum, quod possumus assignare octo nomina, exprimentia naturam, vel rem significatam, vt sit primum nomen Particulare, secundum Indiuiduum, tertium Singulare, quartum Suppositum, quintum Hoc aliquid, sextum Res naturæ, septimum Hypostasis, octauum, & vltimum Persona. Omnia enim hæc nomina significant naturam, vel rem significatam, & vt pertinent ad prædicamentum substantiæ possunt significare rem per se existentem. Sicut ergo motu sunt quatuor quæstiones de quatuor vocabulis, Vtrum in Christo sint plures hypostases, Vtrum plura supposita, Vtrum plura indiuidua, & quarto, Vtrum sint ibi plures res naturæ. Quæ quatuor quæstiones per hunc ordinem motæ sunt in loco præallegato sextæ Distinctionis, ad quas quatuor quæstiones reductæ sunt quatuor quæstiones motæ in hoc loco decimæ Distinctionis. Sic possunt aliæ quatuor quæstiones fieri de quatuor alijs vocabulis, videlicet Vtrum in Christo sint plura hoc aliquid, Vtrum plura particularia, Vtrum plura Singularia, Vtrum plures personæ. Quamuis quæstio de pluribus personis reducta sit ad quæstionem de pluribus hypostasibus. Nam, vt supra ostendimus. Cum Christus sit natura rationalis, quia est homo, & in natura rationali, idem sit hypostasis, quod persona, quantum ad præsens spectat, idem est querere, Vtrum in Christo sint plures hypostases, vel plures personæ: tamen, vt habeatur clarior intelligentia, de ijs octo vocabulis assignabimus quomodo sunt ista octo vocabula accipienda, vel distinguenda. Dicemus ergo, quod vnus modus accipiendi ista octo vocabula est, quia tria-

Octo nomina exprimentia naturam, vel rem significatam, scilicet, Particulare, Indiuiduum, Singulare, Suppositum, Hoc aliquid, Res naturæ, Hypostasis, Persona.

M m istorum

Particula-
re, Indiu-
duū, & Sin-
gular e pos-
sunt exten-
di ad omnia
prædica-
menta.

Porphyrus
in cap. de
specie.

Vniuersalis
definitio.

istorum vocabulorum, licet possint specialiter restringi ad prædicamentum substantiæ, possunt tamen generaliter extendi ad omnia prædicamenta; & hæc tria vocabula sunt. Particulare, quod distinguitur contra Vniuersale. Indiuiduum, quod distinguitur contra Diuiduum. Singulare, quod distinguitur contra Plurale. Nam in omni genere, & in omni prædicamento reperitur vniuersale, & particulare, indiuiduum, singulare, & plurale, secundum quem modum loquitur Porphyrius, cum ait: *Participatione speciei plures homines sunt vnus homo.* particularibus autem, id est quantum ad particularia, vnus, & communis homo, est plures homines. Quælibet ergo species, & quodlibet genus, in istis materialibus, quia secus est in substantijs separatis, est quoddam vniuersale, quod quantum est de se, prædicatur de pluribus.

Dicimus autem (quantum est de se) quia quodlibet materiale prædicatur de pluribus; si autem non prædicatur de pluribus, hoc non est quantum est de se, & in quantum est materiale, sed quia constat ex tota materia sua, secundum quem modum dicimus non esse nisi vnum Solem, & vnam Lunam, & vnum vniuersum. Quantum ergo est de se, vt patet, quodlibet materiale est vniuersale, quod prædicatur de pluribus. Sic enim definitur Vniuersale: *Est aptum natum de pluribus prædicari.* Dicitur autem aptum natum, quia potest esse, si constat ex tota materia sua, quod non prædicetur secundum quod huius, nisi de vno solo, & sicut quodlibet vniuersale est aptum natum de pluribus prædicari, sic quodlibet vniuersale est quoddam diuiduum, quia est aptum natum diuidi in multa. Et est quoddam plurale, quia est aptum natum continere plura; sic autem è conuersò, quodlibet significans naturam, vel rem significatam, non est vniuersale, sed particulare, non diuiduum, sed indiuiduum, non est plurale, sed singulare. Poterit ergo esse vnus modus distinguendi vocabula significativa naturam, vel rem significatam, quia hæc tria vocabula, videlicet particulare, indiuiduum, & singulare, licet possint restringi ad prædicamenta substantiæ (vt

A spectat ad propositum) quia Christus propter quem sūt omnes istæ quæstiones, est in prædicamento substantiæ. Possunt tamen hæc tria vocabula extendi ad omnia prædicamenta, sed alia quinque vocabula, videlicet, hoc aliquid, suppositum, res naturæ, hypostasis, & persona, specialiter pertinet ad prædicamentum substantiæ. Secundum ergo hunc modum distinguendi tria istorum vocabulorum, videlicet particulare, indiuiduum, & singulare possunt extendi ad omnia prædicamenta, alia vero quinque specialiter respiciunt prædicamentum substantiæ.

B Possumus autem, & alio modo distinguere hæc octo vocabula, vt quatuor cadat ex vna parte quatuor ex alia, & iste modus non erit, prout vocabula aliqua huiusmodi respiciunt specialiter prædicamentum substantiæ, & aliqua se possunt extendere ad omnia prædicamenta; sed erit hæc distinctio, prout aliqua istorum vocabulorum sunt secundæ impositionis, aliqua verò primæ; secundæ enim impositionis possunt dici hæc quatuor vocabula, Particulare, Indiuiduum, Singulare, & Suppositum. Primæ verò impositionis possunt dici alia quatuor, videlicet hoc aliquid, res naturæ, hypostasis, & persona. Et hæc sufficiunt quantum ad distinctionem vocabulorum importantium naturam, vel rem significatam.

D Declarato ergo primo, quod erat declarandum, quomodo accipiuntur, & distinguuntur octo vocabula exprimentia naturam, vel rem significatam, volumus declarare secundum, quomodo facta sit Christi incarnatio, quia facta est per personam, vel per suppositum diuinum, æternum, & increatum, supplens vices suppositi, vel suppositorum temporalium, & creatorum, oportet enim, quod Christus incarnatus dicat personam, vel suppositum diuinum, æternum, & increatum, quia non posset dici Filius, siue Christus assumere naturam humanam, quæ de se est apta nata facere suppositum, nisi de se esset tale suppositum, quod posset supplere vices alterius suppositi, quod constituisset natura illa humana, si non fuisset assumpta à Verbo. Hoc autem potest solum suppositum diuinum increatum, &

Christus est
in prædica-
mento sub-
stantiæ.

Suppositum
Hoc ali-
quid; Res
naturæ; Hy-
postasis, &
Persona, spe-
cialiter re-
spiciunt præ-
dicamentum
substantiæ.

Particula-
re, Indiu-
duū, Singu-
lare, & Sup-
positum sunt
termini se-
cundæ im-
positionis.
Alia qua-
tuor sunt
termini pri-
mæ imposi-
tionis.

ater-

eternum, cuiusmodi suppositum est Pater, Filius, & Spiritus Sancti.

Omnes tres personae diuinae potuerunt incarnari.

Nam licet solus Filius sit incarnatus, potuissent tamen, si voluissent incarnari Pater, & Spiritus Sanctus. Possent autem quantum ad hoc aliquae congruitates assignari, quia congruum erat, ut solus ille, qui erat in Deitate Dei Filius, esset in humanitate hominis filius: sed nullae impossibilitates ad hoc adduci, quod non potuissent, si voluissent incarnari Pater, & Spiritus Sanctus.

Natura diuina potest supplere vires cuiuslibet naturae creatae quantum ad efficere, & subsistere.

Concludamus ergo, & dicamus, quod sicut sola natura diuina increata, & aeterna potest supplere vires cuiuslibet naturae creatae quantum ad efficere, & subsistere: quantum quidem ad efficere, quia quicquid facit mediante aliqua natura creata potest facere sine illa natura, quia potest calefacere sine igne, & infrigidare sine aqua, & hoc modo potest supplere vires cuiuslibet naturae creatae, quia potest sine natura creata, effectiue loquendo, quicquid potest esse illa natura, & sicut quantum ad efficere, natura diuina est quoddam infinitum, quia potest supplere vires cuiuslibet naturae creatae: sic etiam quantum ad subsistere est quoddam infinitum. Nam in Deo, secundum Augustinum lib. 7. de Trinit. cap. 4. *Non est aliud subsistere, quam esse.* Sicut ergo quantum ad esse, Deitas est esse omnium, iuxta illud 4. de Angelica Hierarch. *Esse omnium est super esse Deitas.* Ergo quod dictum est de natura diuina quantum ad efficere, & quantum ad esse, potest dici de quolibet supposito diuino quantum ad supponere, & quantum ad sustentare, quia sicut natura diuina potest supplere vires cuiuslibet naturae, quantum ad efficere, & quantum ad esse, sic quodlibet suppositum diuini potest supplere vires cuiuslibet suppositi, quantum ad supponere, & quantum ad sustentare, ut si illa natura humana non fuisset assumpta a Verbo, constituisset de se quoddam suppositum, assumpta autem a Verbo, non constituit suppositum, sed sustentata est in supposito Verbi. Sustentata autem in supposito Verbi, huiusmodi suppositum Verbi supplet vires illius suppositi creati, quod constituisset illa humana natura, si non fuisset a Verbo assumpta. Et sup-

D. P. Aug. 7 de Trin. c. 4. tom. 3.

D. Dion. de Ang. Hier.

Suppositum diuini potest supplere vires cuiuslibet suppositi creati quantum ad supponere, & sustentare.

plendo vires illius suppositi, verificatur de Christo, quicquid verificatum fuisset de illo supposito. Et quia illud suppositum fuisset naturae passibilis, fuisset passum, sepultum, & mortuum: sic Dei Filius supplendo vires illius suppositi, fuit passus, mortuus, & sepultus, quia hoc modo potuit pati, mori, & sepeliri. Ex his autem patet quid est incarnari, quia est assumere carnem in supposito aeterno, vel in supposito diuino, & increato: ex hoc autem non est, quod suppositum increatum fiat creatum, sed quod manens increatum, suppleat vires illius suppositi creati, quod constituisset illa humana natura, si non fuisset a Verbo assumpta; & sic supplendo vires illius suppositi potest verificari, & verificatur de supposito Verbi, & de ipso Deo, quicquid verificatum fuisset de illo supposito, secundum quem modum Christus fuisset verè passus, mortuus, & sepultus. Et per haec possent solui omnia obiecta non solum facta, sed possibilis fieri.

De supposito Verbi verificatur omnia illa, quae verificata fuissent de supposito humano, si in Christi humanitate fuisset.

Incarnari quid sit.

B

C

D

plendo vires illius suppositi, verificatur de Christo, quicquid verificatum fuisset de illo supposito. Et quia illud suppositum fuisset naturae passibilis, fuisset passum, sepultum, & mortuum: sic Dei Filius supplendo vires illius suppositi, fuit passus, mortuus, & sepultus, quia hoc modo potuit pati, mori, & sepeliri. Ex his autem patet quid est incarnari, quia est assumere carnem in supposito aeterno, vel in supposito diuino, & increato: ex hoc autem non est, quod suppositum increatum fiat creatum, sed quod manens increatum, suppleat vires illius suppositi creati, quod constituisset illa humana natura, si non fuisset a Verbo assumpta; & sic supplendo vires illius suppositi potest verificari, & verificatur de supposito Verbi, & de ipso Deo, quicquid verificatum fuisset de illo supposito, secundum quem modum Christus fuisset verè passus, mortuus, & sepultus. Et per haec possent solui omnia obiecta non solum facta, sed possibilis fieri.

RESOLVTIO ARTICVLI Principalis.

Christus ut homo, vel ut hic homo, non est persona: quia persona est assumens, humanitas autem, vel haec humanitas est assumpta: sed Christus ut Christus est persona, quia de ratione Christi est, quod sit Deus, & homo: & quia in eo est persona diuina, supplens vires personae humanae, ideo isto modo conceditur Christum esse personam, & illa modo negatur.

IS itaque declaratis, volumus soluere per se quamlibet quaestionem propositam. Erat enim prima quaestio. Vtrum Christus, secundum quod homo, esset persona. Ad quod plana est responsio. Nam Christus, secundum quod homo, non est nisi illud, quod fuit assumptum: ergo si Christus, secundum quod homo, esset persona, tunc assumpsisset personam, quod est falsum. Nam non assumpsit personam, sed naturam: non assumpsit hominem, sed hu-

Deum assumpsisse hominem quomodo intelligatur. Psal. 64.

D. A. than. in Symb.

manitatem, etsi inueniatur, quod Verbum assumpsit hominem, iuxta illud Psal. *Beatus quem elegisti, & assumpsisti*, ibi homo non stat pro persona, sed pro natura humana, siue homine, iuxta illud Symboli; *Non duo tamen, sed vnus est Christus, Vnus non conuersione Deitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.* Hoc ergo modo Christus est Deus & homo, quia Christus Deus assumpsit humanitatem, siue naturam humanam in seipso, propter quod non deserens quod erat, idest non deserens Deitatem, per quam erat Deus, sed assumens quod non erat, idest assumens humanitatem, per quam factus est homo, Christus est simul Deus & homo: hoc ergo est falsum. Christus secundum quod homo est persona.

D. Thom.

Addunt Scripta communia, quod licet hæc sit falsa: Christus secundum quod homo, est persona; hæc tamen est vera: Christus vt hic homo, est persona: sed nulli dubium esse debet, quod Christus, vt Christus, est persona, non quidem creata, sed increata, quia de ratione Christi est vtrumque, scilicet Deus & homo. Etsi definiretur Christus, vtraque natura poneretur in definitione eius, scilicet diuina, & humana, & ideo quia Christus est Deus, & homo, licet non sit persona, vt homo, nec etiã vt hic homo, quamuis Scripta communia hoc concedant: est tamen persona, vt Deus, nec est in Christo nisi vna persona, videlicet persona diuina & increata, quæ persona non est Christus, vt homo, nec vt hic homo, sed vt Deus. Sed si quærat: Vtrum aliquo modo Christus sit persona vt homo, vel vt hic homo. Dicemus, quod nec vt homo, nec vt hic homo, quamuis non sit persona, supplet tamen vices eiusdem personæ. Et si quærat: cuius personæ supplet vices. Dicemus, quod supplet illius personæ, quam constituisset humanitas, si non fuisset assumpta à Verbo. Assumpta autem à Verbo non constituit personam, sed sustentata est in persona Verbi, in esse ab æterno constituta, quam humanitatem sustentando, persona Verbi supplet vices illius personæ, quam constituisset humanitas, si non fuisset assumpta à persona Verbi. Persona ergo Verbi non est persona creata, sed increata, non est per-

Si Christus definiretur in eius definitione vtraque natura poneretur.

A sona temporaliter, sed æterna: assumendo tamen in se naturam humanam, licet ipsa persona Verbi maneat in se æterna, supplet tamen vices eiusdem personæ temporalis, illius scilicet, quam constituisset humanitas, si non fuisset à Verbo assumpta, & quia sic supplet vices illius personæ humanæ, vel illius hominis, verificatur de Christo Deo quicquid verificatum fuisset de illo homine.

Hinc ergo est euidens argumentum, quomodo facta est incarnatio, quia sic sola natura diuina potest supplere vices cuiuscunque alterius personæ. Persona ergo diuina assumens naturam humanam, & ex hoc supplens vices illius personæ, & illius hominis, quem constituisset natura humana, si non fuisset assumpta à Verbo, verificatur de Deo Verbo, quicquid verificatum fuisset de illo homine. Est enim persona diuina sic infinita, sicut est natura. Sicut ergo natura diuina propter sui infinitatem, potest supplere vices cuiuscunque alterius naturæ creatæ, sic quælibet persona diuina propter sui infinitatem potest supplere vices cuiuscunque alterius personæ etiam creatæ, & quia sola persona diuina potest hoc facere, & potest sic supplere vices, sic factum est, quod eadem persona increata, & diuina, est Deus, & homo: est Deus, quia est persona increata, & est homo, nõ quod deficiat esse persona increata, vel quod fiat persona creata, sed quod existens persona increata in quantum homo, vel in quantum hic homo supplet vices cuiusdam personæ creatæ, scilicet illius, quam constituisset humanitas, si non fuisset à Verbo assumpta. Non ergo impossibile, quod idem, & eadem persona sit Deus, & homo, sed esset omninõ impossibile, quod idem, & eadem persona esset Angelus, & homo, vt quod persona Angeli assumeret in se humanitatem, & fieret homo. Nam cum non posset hoc fieri nisi persona Angeli esset infinita, & posset supplere vices cuiusdam alterius personæ, & quia nulla persona creata est infinita, ideo nulla persona creata, nulla; persona Angelica potest sic supplere vices alterius personæ, vt sit eadem persona Angelus, & homo, sed sola persona diuina potest hoc facere. Redeamus ergo

Quomodo facta est incarnatio.

Sicut natura diuina propter sui infinitatem potest supplere vices cuiuscunque naturæ creatæ: ita suppositum diuinum ratione sue infinitatis potest supplere vices cuiuscunque suppositi creati.

Angelus nõ posset assumere naturam aliam ad unitatẽ sui suppositi, quia eius suppositum est finitum.

ergo ad propositum, & dicamus, quòd Christus est Deus, & homo, & est persona, vt Deus, sed non est persona, vt homo, nec vt hic homo, quãuis hoc Scripta communia dicant: Verum est enim de quolibet puro homine, quòd quamuis non sit persona, vt homo: est tamen persona vt hic homo, cuius ratio est, quia de ratione personę est, vt sit quoddam indiuiduum; sic enim Boetius definit personam: *Persona est rationalis natura indiuidua substantia*. Cùm ergo etiam quilibet purus homo non sit quid indiuiduum, vt homo, sed vt hic homo, benè dictum est de quolibet puro homine, quòd quamuis non sit persona, vt homo, quia hoc modo non est quid indiuiduum, est tamen persona, vt hic homo, quia, vt hic homo est quid indiuiduum. Christus tamen, qui non est purus homo, sed est Deus, & homo, nec est persona vt homo, nec vt hic homo, sed vt Deus. Scripta enim communia in hoc fuerunt decepta, quia crediderunt, quòd Christus, vt hic homo, diceret suppositum æternum: sed constat, quòd sufficit, vt intelligam Christum esse hunc hominem, quòd intelligam Christum habere hanc humanitatem, idest hanc animam & corpus hoc. Quod intelligendo non intelligo ipsum, vt personam, idest, vt est per se sonans, quia anima Christi: & hæc anima Christi, & corpus Christi, & etiam hoc corpus Christi non est per se sonans, nec per se existens, sed hæc sunt assumpta à Verbo, & sustentantur in Verbo. Propterea Christus nec vt homo, nec vt hic homo, est persona, sed solùm, vt est Deus, habet esse persona. Nam cum non possit esse Deus, & homo, & eadem persona habere in se Deitatem, & humanitatem, nisi illa persona suppleat vices alterius personę, & quia sola persona diuina potest hoc facere, sicut sola natura diuina potest facere, quòd propter sui infinitatem suppleat vices alterius naturę, sic sola persona diuina propter sui infinitatem poterit hoc facere, vt suppleat vices alterius personę. Christus ergo non, vt homo, nec vt hic homo, sed vt persona diuina, & vt Deus potest supplere vices alterius personę, & esse Deus, & homo, sed vt persona diuina, & vt Deus potest.

A tuit supplere vices alterius personę, & esse Deus, & homo. concedimus ergo, quòd Christus vt Christus, est persona, quia de ratione Christi est quòd sit Deus, & homo, sed non concedimus, quòd Christus vt homo, nec vt hic homo, sed vt persona diuina, & vt Deus potuit supplere vices alterius personę, & esse Deus, & homo.

RESP. AD ARGVMENTA
Principalis Articuli.

B Ad primum dicendum, quòd non secundum quòd homo, sed secundum quòd hic homo, est rationalis naturę indiuidua substantia; sed ex hoc non sequitur, quòd sit persona, quia non est per se sonans, vt etiam Magister in littera soluit; sequeretur enim hoc argumentum de aliquo puro homine, quod non esset persona, vt homo, sed vt hic homo: sed de Christo, qui non est purus homo, non sequitur; quia non est persona, idest, per se sonans, nec vt homo, idest, vt habet humanitatem, nec vt hic homo, vt habet hanc humanitatem, sed est persona vt Deus, & vt est persona diuina, secundum quem modum potest supplere vices alterius personę, quam constituisset natura humana, si non fuisset à Verbo assumpta.

C Ad secundum dicendum, quòd argumentum peccat in materia recipiẽdo falsa. Nam hæc est falsa, Petrus, vel aliquis purus homo, est persona secundum quòd homo, quia non est persona, vt homo, sed vt hic homo. Dato tamen, quòd non reciperet falsa, adhuc non concludit argumentum. Nam quod conuenit alicui in eo, quod homo, oportet, vt conueniat omni homini, videlicet puro, vel omni ei, qui est tantum homo. Nam quod Christus sit persona, idest, per se sonans, non competit ei vt homo, nec vt hic homo, sed competit ei vt Deus. Non enim potest esse eadem persona Deus, & homo, nisi illa persona possit supplere vices eiusdem alterius personę, quòd propter sui infinitatem potest solus Deus, vel sola persona diuina, quia omnis persona diuina est verus Deus.

D Ad tertium dicendum, quòd Christus

Christus est persona vt Deus, & nõ vt homo, æque vt hic homo. D. Thom.

Personę de finitio.

Contra D. Thom.

Personę e- thymon.

Negatur argumenti cõ sequentia, & licet de finitio personę in puro homine verificetur de quolibet vt est hic homo, in Christo tamen nõ verificatur, quia neque vt homo, neque vt hic homo, est per se sonans, & subsistens, sed vt est persona diuina.

Argumentum concia dit de puro homine nõ autem de Christo.

secundum quod homo, est aliquid operatus, quia comedebat, & ambulabat, & ambulando fatigabatur, etiam secundum quod Deus aliquid operabatur, quia suscitabat mortuos, & operabatur alia miracula. Arguitur ergo ex hoc, quod in Christo erant duæ operationes, quod concedimus, nec tamen ex hoc habetur, quod esset nisi vna persona. Nam omnes tales operationes attribuendæ sunt personæ diuinæ, secundum quem modum etiam loquitur Philosophus in 1. de Anima: *Quia operationes corporales, ut texere, & ædificare, & operationes spirituales, ut addiscere, & intelligere: non attribuit naturæ, idest animæ, sed personæ, idest homini per animam.* Et sicut non attribuit Philosophus istas operationes naturæ spirituali, idest animæ: ita non sunt attribuendæ corporali naturæ, idest corpori, quamuis texere, & ædificare non fiant sine corpore, sed fiant per corpus. Sicut ergo dicimus, quod anima non intelligit, sed homo per animam, sic dicere possumus, quod corpus non texit, nec ædificat, sed homo per corpus. Christus ergo existens vna persona diuina habebat in se duas naturas, & illa vna, & eadem persona diuina operabatur operationes vtriusque naturæ. Christus ergo quia erat persona increata, & diuina existens, sicut persona diuina, & increata habet in se duas naturas, non duas personas: propter quam duplicem naturam erant in eo duo genera operationum, quarum vtraque attribuenda erat illi vni personæ: in hoc ergo stat tota vis præcedentium verborum, quod persona illa, quæ est Deus, & homo sit talis persona, vt posset supplere vices alterius personæ, scilicet illius, quam constituisset humanitas, si non fuisset à Verbo assumpta.

Et quia sola persona diuina potest supplere vices alterius personæ, sic sola natura diuina potest supplere vices alterius naturæ. Ideo de necessitate Christus, nec secundum quod homo, nec secundum quod hic homo, est persona, sed solum secundum quod Deus, & secundum quod persona diuina, est persona, quæ est Deus, & homo, quia solum hoc modo, videlicet vt persona diuina potest supplere vices alterius personæ,

In Christo non erant duæ personæ, sed duæ naturæ in vna persona, & hoc sufficit ad verificanda ea, quæ in argumento adducuntur.

A Resolutio Dub. I. Lateralis.

Licet in Christo sint indiuidua, quantum ad accidentia, ad partes substantiales, & ad partes integrales, nullum tamen talium indiuiduorum, de eo prædicatur qui secundum quod est homo, non potest dici indiuiduum, sic enim vt homo esset per se subsistens, quod in Christo est negandum, in quo vna tantum diuini Verbi subsistentia conceditur.

B **C** **D** id autem, quod secundò quaeritur: **A** **C** **D** rebatur: Vtrum Christus secundum quod homo, sit indiuiduum. Lici debet, quod aliud est querere. Vtrum Christus secundum quod homo, sit indiuiduum, & aliud: Vtrum in Christo, secundum quod homo, sit aliquid indiuiduum, vel plura indiuidua: nam cum ageretur supra de illis octo vocabulis, exprimentibus naturam, & rem significatam, dicebatur, quod tria illorum vocabulorum, videlicet particulare, indiuiduum, & singulare erant communia omnibus prædicamentis. Nam in omni prædicamento reperitur particulare, quod opponitur vniuersali, & indiuiduum, quod opponitur indiuiduo, & singulare, quod opponitur plurali. Si ergo ista tria particulare, indiuiduum, & singulare reperiuntur in omnibus prædicamentis, & in prædicamentis accidentalibus, quæ non sunt entia, nisi quia sunt entis, idest substantiæ; poterunt etiam hæc tria reperiri in partibus substantiæ, siue sint partes essentialiter, vt materia, & forma, seu corpus, & anima, siue sint partes integraliter, vt pes, manus, & caput. Tripliciter ergo erunt in Christo plura indiuidua, videlicet quantum ad accidentia, quantum ad partes essentielles, & quantum ad partes integrales. Quantum ad accidentia quidem, quia est in Christo hæc albedo, siue rubedo, vel hæc magnitudo, & hic habitus, vel hæc dispositio, & sic de alijs, quæ omnia possunt dici quædam indiuidua, vel quædam particularia, siue quædam singularia, quia hæc tria in omnibus prædicamentis contingit reperiri. Secundò sunt in Christo plura indiuidua, quantum ad partes essentielles, quia est in

In Christo sunt plura indiuidua tripliciter, idest quantum ad accidentia: quantum ad partes substantiales. & quantum ad partes integrales.

Christo

Christo hæc materia, & hæc forma, & hæc anima, & hoc corpus, quorum quodlibet potest dici quoddam indiuiduum, vel quoddam particulare. Tertio sunt in Christo plura indiuidua quantum ad partes integrales, quia est in eo hæc manus, hic pes, hoc caput: sunt ergo in Christo plura indiuidua, sed nullum illorum indiuiduorum prædicatur de Christo, quia Christus non est sua albedo, nec sua manus, nec suus pes, nec suum caput, nec sua anima, nec suum corpus, loquendo de corpore, quod diuiditur contra animam, quod non est totum compositum, sed pars compositi, quia loquendo de corpore, quod est genus, non est dubium, quod Christus est tale corpus. Vtrum autem in illo triduo, quando corpus fuit separatum ab anima, potuisset dici, quod Christus erat illud corpus, vel illa anima, inferius poterit declarari, vbi agitur de Christo quantum ad illud triduum. Tamen dato, quod concederemus quantum ad illud triduum, quod Christus erat illa anima, per quam, & cum qua descendit ad inferna, & quod erat illud corpus, quod iacuit in sepulchro, non propter hoc concederemus, quod Christus esset plura indiuidua. Nam cum Christus secundum quod homo sit per se in genere substantiæ, illud indiuiduum prædicabitur de Christo, quod est per se existens, & hoc aliquid in genere substantiæ. Non posset ergo Christus esse plura indiuidua in genere substantiæ, nisi essent plura per se existentiæ, vt hic de indiuiduo loquimur. Corpus ergo illud, quod iacuit in sepulchro, non erat per se existens, vel per se subsistens, sed sustentabatur in persona Verbi, quæ persona tanquam verus Deus vbique erat tota, tota erat in inferno cum anima, & tota erat in inferno cum corpore. Quia ergo non possemus concedere, Christum esse plura indiuidua, nisi concedamus ipsum esse plura per se existentiæ, quo concesso, falsum esset illud Symboli, quod dicitur de Christo: *Cum Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus: vnus non confusione substantiæ, sed vnitæ persone.* Christus ergo quamuis sit Deus, & homo, non tamen est nisi vna persona, non nisi vnum indiuiduum, & vnum per se existens,

A Cum ergo queritur. Vtrum Christus secundum quod homo, sit indiuiduum. Dicitur debet, quod Christus, secundum quod homo, non est persona, quia humanitas, per quam Christus est homo, non constituit personam, sed sustentatur in persona Verbi ab æterno in esse constituta, sic Christus secundum quod homo, non est indiuiduum, quia natura illa humana, secundum quam Christus est homo, non constituit indiuiduum, quod prædicatur de Christo. *Assumpsit enim Christus humanam naturam in atomo.* Vt dicit Damascen. lib. 3. cap. 11. quia assumpsit hanc humanam naturam. Illa tamen humana natura, licet sit quoddam indiuiduum, non tamen prædicatur de Christo in abstracto, & vt est quoddam indiuiduum, quia Christus non est humanitas: ista tamen prædicatio in concreto ideo est vera, quia implicat in se personam Verbi, quæ facta est homo, prout assumpsit in se naturam humanam. Non concedimus ergo, quod Christus secundum quod homo, sit indiuiduum, quia cum indiuiduum, vt hic de eo loquimur, dicat aliquid per se subsistens, Christus, secundum quod homo, esset persona, & esset per se subsistens, quod, vt patuit per questionem primam, est simpliciter falsum.

RESP. AD ARGVMENTA.
Primæ Dub. Lateralis.

Ad primum dicendum, quod homo secundum se, non est vniuersale, nec particulare, secundum quem modum loquitur Philosophus in 1. Metaph. *Medicus non medicat hominem, sed Socratem, vel Platonem, quibus accidit esse hominem.* Verum est tamen, quod Philosoph. ibi loquitur de accidere, prout aliqua accidunt alicui, prout stat in tertio attributo, secundum quem modum omnia possunt accidere omnibus. Socrates ergo, & Plato, prout stant sub isto attributo, quod est sanari, vel medicari, accidit Socrati, vel Platoni, quod sint homo, quia non sanantur, vel medicantur in quantum quilibet illorum est homo, sed in quantum quilibet illorum est infirmus.

Ad hunc tamen modum potest reduci hic

Nulli præ-
factorum in
diuiduorū
prædicatur
de Christo.

In triduo
an possit di-
ci, quod
Christus e-
rat illud
corpus, vel
illa anima
inferius pa-
tebit.

Corpus
Christi in
sepulchro
non erat
per se exi-
stens, sed
sustentaba-
tur in per-
sone Verbi.

D Damasc.
lib 3. c. 11.

Natura as-
sumpta, li-
cèt sit quid
indiuiduū,
non tamen
prædicatur
de Christo
in abstra-
cto, sed in
concreto,
quia impli-
cat in se
personam
Verbi.

Art. 1. Me-
taph. c. 1.
30.

hic modus loquutionis, quòd Christus non est indiuiduum secundum quòd homo, quia vt stat Christus sub hoc attributo, quod est indiuiduum, idest quod est aliquid per se subsistens, extraneum est ab eo, quod sit per se subsistens. Nam, cum Christus sit homo per humanitatem, humanitas illa, per quam est homo, non est per se subsistens, nec constituit aliquid per se subsistens. Propter quod secus est de humanitate Christi, & de humanitate cuiuslibet alterius puri hominis, licet non sit per se subsistens, constituit tamen personam, quæ est per se subsistens, sed humanitas Christi, nec est per se subsistens, nec constituit aliquid per se subsistens, sed sustentatur in persona Verbi ab æterno in esse constituta, & quia nomine indiuidui, vt hic de indiuiduo loquimur, intelligitur aliquid per se subsistens, sicut negamus Christum, secundum quòd homo, esse personam, ne ponamus in Christo duas personas, sic negandum est Christum, secundum quòd homo, esse indiuiduum, ne cogamur ibi ponere duo per se existentia.

Argumentum si aliquid concludit hoc est in puro homine, non autem in Christo.

Cum hic fit mator indiuiduum, vt per se subsistens, negatur Christum secundum quòd homo esse personam.

D. Thom.

Aduertendum tamen, quòd licet Scripta communia negent, quòd Christus secundum quòd homo, sit persona, vel indiuiduum, concedunt tamen, quòd Christus secundum quòd hic homo, est persona, vel indiuiduum, sed ad hoc, quòd Christus sit hic homo, non oportet, vt sit Deus, & intelligemus Christum esse hunc hominem, solum habendo hanc humanitatem, nam quicumque habet hanc humanitatem, est hic homo. De ratione ergo Christi, vt Christus est, est quod sit Deus, & homo, iuxta illud: *Est ergo fides recta, vt credamus, & confiteamur, quòd Dominus noster Iesus Christus, Dei Filius, Deus, & homo est.* Propter quod Christus etsi non est persona, vt homo, est tamen persona, vt Deus, sed non sic est de ratione huius hominis, quia sufficit ad hoc, quòd Christus sit hic homo, vt habeat hanc humanitatem. Nam illud potest dici per se, quod verificatur de quolibet tali, secundum quòd tale. De quolibet enim habente hanc humanitatem, secundum quòd habet hanc humanitatem, est hic homo.

Ad hoc vt Christus sit hic homo, non requiritur, vt sit indiuiduum, sed sufficit vt habeat hanc humanitatem.

Ad secundum dicendum, quòd Chri-

stus, secundum quòd homo, est subiectum accidentium indiuiduantium, sed non oportet propter hoc, vt secundum quòd homo, sit indiuiduum, vel hoc aliquid per se subsistens, quia tunc secundum quòd homo, est persona, quod est falsum.

Christus in eo, quòd homo est subiectum accidentium indiuiduantium: non autem indiuiduum.

Ad tertium dicendum, quòd humana natura est quoddam indiuiduum, quia Christus assumpsit humanam naturam in athomo, idest in esse indiuiduali, vt probauimus per Damascenum, sed ex hoc non possumus arguere, quòd Christus, secundum quòd homo, sit indiuiduum, quia illa humana natura in abstracto, quæ est sic indiuiduum, non prædicatur de Christo. Et si dicatur, quòd prædicatur de Christo in concreto, quia Christus est homo, & hic homo. Dicitur debet, quòd non prædicatur de Christo in concreto, nisi quia hoc modo talis prædicatio implicat, & includit personam Christi, quæ est æterna, & quæ assumens humanitatem, in fine temporum, non ab æterno facta, est homo, iuxta illud, quod habetur in hymno: *Deus Creator omnium, homo in fine temporum.*

Ad minore dicitur, esse indiuiduum cõpõrit naturæ humanæ; sed negatur cõsequentiã, quia et si in concreto Christus est hic homo, hoc tamen est, verum per implicationem suppositi.

Obiectio.

Solutio.

Resolutio Dub. II. Lateralis.

Christus secundum quòd homo, non est suppositum, neque res naturæ, quia ista dicunt per se subsistentiam, quæ non est in Christo secundum quòd homo, sed secundum quòd Deus, ideo hoc modo est suppositum, persona, indiuiduum, res naturæ, hypostasis, & particulare.

Ad id autem, quòd tertio, & quarto quærebatur, Vtrum Christus secundum quòd homo, sit suppositum, vel res naturæ. Dicitur debet, quòd ad hoc Scripta communia satis bene respondent, sed multum intricatè loquantur. Explicabimus ergo intentionem Scriptorum communium, & hoc modo expediemus quæstionem supradictam, quia nõ est intentionis nostræ impugnare Scripta communia, vbi ea possumus rationabiliter sustinere. Dicunt enim Scripta communia, quòd in propositionibus per

D. Thom.

Recta intentio Aegidij in aliorum opiniones tuendas, vel refellendas.

per

per se, aliter est ex parte subiecti, & aliter ex parte prædicati, quia ex parte subiecti sufficit, vt aliquid illorum per se conueniat subiecto. Nam hæc est vera, homo per se est rationalis, & licet in homine contineatur anima rationalis, & caro, sufficit, vt ista sit per se, homo est rationalis, licet non sit rationalis ex parte carnis, vel corporis, sed solum ex parte animæ: Vt autem aliquid dicatur esse per se ex parte prædicati, oportet, vt verificetur per se de omni eo, quod datur intelligi in prædicato. Cum ergo queritur. Vtrum Christus secundum quod homo sit suppositum, vel res naturæ, questio querit: Vtrum suppositum, vel res naturæ possit prædicari de Christo secundum quod homo: oportet ergo, vt si suppositum, vel res naturæ potest prædicari de Christo, secundum quod homo, omne, quod importatur per suppositum, vel per rem naturæ verificetur de Christo, secundum quod homo; sed per suppositum, vel rem naturæ importantur duo. Nam tam per suppositum, quam per rem naturæ importatur quidam respectus ad naturam communem, quia hoc dicitur esse suppositum, quod est sub natura communi positum. Et homo dicitur res naturæ, quia habet in se communem naturam. Sed tam suppositum, quam res naturæ, non solum dicit aliquem suppositum ad communem naturam; sed etiam dicit aliquid per se subsistens in illa natura. Primum ergo possemus saluare tam de supposito, quam de re naturæ, quod Christus secundum quod homo, dicit suppositum, idest, sub communi natura positum, vel dicit rem naturæ, quia dicit aliquid in se habens naturam humanam, quæ omnibus hominibus est communis. Sed secundum, quod tam suppositum, quam res naturæ dicit aliquid per se subsistens in tali natura, non potest competere Christo, secundum quod homo, quia tunc Christus, secundum quod homo, esset aliquid per se subsistens. Et quia nulli dubium est, quod Christus, nec secundum quod homo, nec secundum quod hic homo, est aliquid per se subsistens, quia nec vt habet humanitatem, nec vt habet hanc humanitatem, est aliquid per se subsistens, sed subsistit, & sustentatur in Ver-

bo in esse ab æterno constituto. Christus ergo non est quid subsistens, nec vt homo, nec vt hic homo, sed vt Deus, quia natura Christi humana, & vt erat hæc humanitas, non per se subsistebat, sed erat assumpta à persona Verbi, & sustentabatur in ea.

Prosequuti ergo sumus Scripta communia quantum ad hanc tertiam, & quartam quæstionem, sed non videmus quod possimus vna simplici responsione respondere ad omnes has quatuor quæstiones. Nam cum queritur primò, Vtrum Christus, secundum quod homo sit persona. Secundò, Vtrum secundum quod homo, sit indiuiduum. Tertiò, Vtrum secundum quod homo, sit suppositum, & Quartò, Vtrum secundum quod homo, sit res naturæ. Dici debet, quod cum Christus, secundum quod homo, sit in genere substantiæ, ista non possunt essentialiter prædicari de Christo, nisi prout accipiuntur tanquam essentia in genere substantiæ. Et quia omnia quatuor præfata, vt sunt in genere substantiæ, dicunt quid per se existens, Christus, secundum quod homo, quia non est aliquid per se existens, ideo secundum quod homo, non est aliquid istorum prædictorum quatuor. Verum quia Christus, secundum quod Deus, est persona, & aliquid per se existens, ideo, licet non secundum quod homo, sed secundum quod Deus, est quodlibet illorum quatuor prædictorum; possumus autem illis quatuor addere quintum, vt dicatur secundum quod Deus, Christus est hypostasis. Præfata ergo quinque competunt Christo secundum quod Deus, videlicet vt sit persona, indiuiduum, suppositum, res naturæ, & hypostasis, & si vellemus, possemus addere sextum, videlicet quod sit quid particulare: nam omnia ista non prædicantur de Christo, nisi vt sunt in genere substantiæ, secundum quem modum quodlibet istorum dicit aliquid per se subsistens, quod non potest competere Christo, secundum quod homo, sed secundum quod Deus, vt est per habitam manifestum.

Sed fortè quæres quomodo omnia ista sex accipiuntur. Ad quod dici potest, quod tria istorum, scilicet, particulare, indiuiduum, & suppositum sunt nomina secundæ

Christus secundum quod Deus, est Persona, indiuiduum, suppositum, Res naturæ, Hypostasis, & Particulare.

Per suppositum, & rem naturæ duo importantur.

Suppositum, & rei naturæ est rithymologia.

Prout suppositum, & res naturæ dicit aliquid per se subsistens, non potest competere Christo secundum quod homo.

Particula-
re, Indiu-
duū, & Sup-
positū sunt
nomina se-
cundæ intē-
tionis.

Discrimen
Logici, &
Grammati-
ei in nomi-
nibus res
easdem si-
gnificanti-
bus.

Persona,
Res naturæ,
& Hyposta-
sis sunt no-
mina primæ
intentionis

Discrimen
inter Perso-
nam, & Hy-
postasim.

Persona di-
citur quasi
per se sonas
id est exi-
stens.

dæ intentionis, quod patet ex suis oppo-
sitis: nam particulare opponitur vniuer-
sali, sed nulli dubium est, quod vniuer-
sale est nomen secundæ intentionis: ergo
nulli dubium esse debet, quod particula-
re est nomen secundæ intentionis: sic
etiam vniuersale, prout est nomen secun-
dæ intentionis dicitur diuiduum, quia di-
uiditur in plura, & dicitur plurale, quia
prædicatur de pluribus. His ergo corre-
spondentia, videlicet indiuiduum, quod
opponitur diuiduo, & singulare, quod
opponitur plurali, vel quod idem suppositum,
quod opponitur appposito. Nam secun-
dum quod logicus appellat subiectum
id, quod subiicitur, & prædicatum id,
quod prædicatur: sic grammaticus id,
quod subiicitur, non appellat subiectum,
sed suppositum. Et id quod prædicatur,
non appellat prædicatum, sed appositum.
Omnia ergo possunt dici secundæ inten-
tionis. Tria verò de præfatis nominibus,
videlicet particulare, indiuiduum, & sup-
positum, sic accipiuntur, quod sunt nomi-
na secundæ intentionis. Alia autem tria,
videlicet persona, res naturæ, & hyposta-
sis, sic accipiuntur, quod sunt nomina
primæ intentionis. Immò inter suppositum,
& hypostasim nunquam possemus
dare propriam differentiam, nisi dicendo
suppositum esse nomen secundæ intencio-
nis, & hypostasis primæ intentionis. Nam
hæc est differētia inter hypostasim, & per-
sonam, quia persona dicitur id, quod su-
biicitur in natura rationali, sed hyposta-
sis dicitur id, quod subiicitur in quacun-
que natura, sic etiam & suppositum dicit
id, quod subiicitur in quacunque natura,
hæc ergo erit differentia inter hyposta-
sim, & suppositum, quod licet quodlibet
illorum dicat id, quod subiicitur in qua-
cunque natura, tanquam per se existens,
tamen suppositum est nomen secundæ in-
tentionis, hypostasis primæ.

Quibus visis, leue est assignare diffe-
rentiam inter tria, quæ sunt nomina pri-
mæ intentionis, cuiusmodi sunt, res na-
turæ, hypostasis, & persona, quia omnia
hæc tria possunt dicere idem. Nam per-
sona dicit specialiter aliquid per se exi-
stens naturæ rationali subiectum. Hoc
enim sonat persona, quod per se sonans,
id est per se existens, vt Magister dicit in

A littera, & bene. Quod autem persona
specialiter sumatur respectu naturæ ratio-
nalis, patet per id, quod habet Boetius
de duabus naturis, & vna persona Chri-
sti, definiens personam: *Persona est
rationalis naturæ indiuidua substantia*.
Quod ergo dicit persona respectu ratio-
nalis naturæ, hoc dicit hypostasis respec-
tu cuiuscunque naturæ. Hoc etiam dicit
res naturæ, hoc tamen nomen, res natu-
ræ, specialiter sumptum est per compa-
rationem ad naturam communem, à qua
denominatur, & dicitur res naturæ. Nulla
ergo differentia erit inter rem naturæ, &
hypostasim, nisi quod res naturæ expres-
sè exprimit respectum ad naturam com-
munem, sed hypostasis non expressè hoc
exprimit, sed implicite implicat illud.

B Aduertendum tamen, quod omnia ista,
videlicet, indiuiduum, particulare, &c.
quia non competunt Christo, nisi secundum
quod est Deus, & quia nihil potest dici
propriè vniuocè de Deo, & Creaturis, om-
nia præfata vocabula dicuntur aliquo mo-
do æquiuocè, vel saltem analogicè, vt
competunt Deo, & Creaturis.

C RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum dicendum, quod suppositum,
& res naturæ, non solum dicit ali-
quid habens in se talem naturam, sed di-
cit aliquid per se subsistens, quod non
potest competere Christo, secundum quod
homo, quia sic acceptus dicit naturam
humanam, non vt est quid per se subsi-
stens, sed vt est assumpta in persona Ver-
bi, quæ per se subsistit, & in qua natura
humana subsistit.

D Ad secundum dicendum, quod subie-
ctum quantum est de se, non dicit aliquid
per se subsistens. Nam, & accidens, quod
quantum est de se, non est per se subsi-
stens, potest esse subiectum alterius, vt
proprium est superficie esse subiectum
coloris, iuxta illud Philosophi: *Proprium
est superficie primo loco colorari*. Et ideo
non est simile de supposito, & subiecto,
cum suppositum semper pertineat ad
genus substantiæ, & semper dicat ali-
quid per se subsistens, non autem subie-
ctum.

Ad tertium dicendum, quod loquen-
dum

Boet. in lib.
de duabus
nat.

Res natura
vnds deno-
minetur.

Notandum.

Mayor argu-
mēti est in-
sufficiens,
quia suppo-
sitū, & res
naturæ di-
cunt etiam
aliquid per
se subsistens.

Arist. 1. Me-
ta. c. 2.
Non valet
similitudo
adducta in-
ter supposi-
tum, & su-
biectum.

Negatur ma-
ier a sume
ti sumendo
suppositum,
& rem na-
turae, prout
vſurpant di-
ſta vocabu-
la Theolo-
gi.

dum est, vt plures, quod sic intelligen-
dum est, quòd loquutiones, & vocabula
debemus accipere, vt plures accipiunt,
vel vt communiter accipiuntur, & quia
communiter nomine suppositi intelligen-
tur aliquid pertinens ad prædicamentum
substantiæ, quod est per se subsistens, sic
etiam intelligitur de re naturæ. Et quia
Christus secundum quòd homo, non est
per se subsistens, ideo secundum quòd
huiusmodi non est suppositum, nec res
naturæ. Nec valet recurrere ad ethymo-
logiam nominis, dicendo, quòd supposi-
tum est sub communi natura positum.
Nam lapis dicitur ledens pedem, secun-
dum ethymologiam nominis, non tamen
quicquid ledit pedem, est lapis, quia etiam
ferrum, vel lignum posset lædere pedem.
Scripta autem communia ponunt exem-
plum de armigero. Nam secundum ethy-
mologiam nominis, armiger est idem,
quod gerens arma, non tamen quicquid
gerit arma est armiger. Asinus posset ge-
rere arma, non tamen esset armiger.

Obiectio

Solutio.

D. Thom.

Asinus po-
test gerere
arma, sed
non potest
dici armi-
ger.

DISTINCTIONIS X.

Pars Secunda Principalis.

De Adoptione.



EINDE quæ-
ritur de secun-
do principali,
scilicet de ado-
ptione. Circa
quod quærun-
tur duo. Nam
primò quæritur
de adoptione,
vel de gratia adoptionis, quantum ad
rem adoptantem, vel quantum ad
Deum nos in suos filios ado-
prantem. Secundò quæ-
ritur de adoptione
quantum ad ado-
ptatos.



DISTINCTIONIS X.

SECUNDÆ PARTIS

QVAESTIO PRIMA

PRINCIPALIS.

De Deo adoptante.



AE C Quæstio
habet tres Arti-
culos.

Primus est. V-
trum Deo cõpet-
tat aliquem ado-
ptare in filium.

Secundus, V-
trum adoptare

aliquem in filios sit proprium Dei Patris.
Tertius. Vtrum personæ Filij, vel per-
sonæ Spiritus Sancti sit adoptare.

ARTIC. I.

Utrum Deo competat aliquem adopta-
re in filium. Conclusio est
affirmatiua.

D. Thom. 3.p.q.23.art.1. Caiet. Silu. Med. Rag. Cabrer.
Suar. ibidem. Vasquez ad 3.p.q.23.
tom. 1. di. p. 88. per totam.



D primum sic pro-
ceditur. Videtur,
quòd Deo non com-
petat aliquem ado-
ptare in filiũ. Nam
adoptatio est, ali-
quam personam ex-
traneã adoptare in

filium; sed Deo nulla persona est extra-
nea, quia omnes sumus sui, iuxta illud,
quod dicitur in hymno: *Memento, quòd
sumus tui, licet caduci plasmatis;* ergo &c.

Præterea. Pater non est principium
essendi in hominibus, quantum ad filios
adoptiuos, quia nunquam videmus in
hominibus, quòd aliquis adoptet sibi in
filium illum, cuius est principium essendi:
cum

cum ergo Deus omnibus hominibus, & omnibus tam rationabilibus, quam intellectualibus creaturis sit principium essendi: ergo nullum talium adoptabit sibi in filium.

Præterea. Videmus in hominibus, à quibus translatum est nomen adoptionis ad Deum, & vt etiam communiter dicitur, quod nullum adoptat sibi aliquem in filium, nisi quia vult condiuidere illi suam hæreditatem, & vult facere illum participem hæreditatis suæ; sed cum ipse Deus sit hæreditas nostra, iuxta illud, quod dictum est Abrahæ. Genes. 15. *Ego ero merces tua magna nimis.* Cum ergo Deus sit quid indiuisibile, & non possit aliquis per partes participare ipsum, non competit ei aliquem in filium adoptare.

Gen. c. 15.

IN CONTRARIUM est: quia adoptio potissimè habet ortum à benignitate adoptantis, cum ergo Deus sit maximè benignus, ei maximè, & potissimè competit alios in filios adoptare.

Præterea. Hoc est adoptare, alios gratiosè, siue per gratiam suos filios facere: sed hoc potissimè competit Deo, iuxta illud Io. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri:* ergo &c.

Io. c. 1.

RESOLVTIO.

Deus adoptat nos in filios per gratiam adoptionis, vt simus hæredes sui, & co-hæredes Christi Filij eius, facitq. nos Deos, non natura, sed gratia, quod optime explicatur.

RESPONDEO, quòd Deus quatuor modis sumi potest, videlicet natura, & sic quælibet persona, & tota Trinitas dicitur Deus, quia habet in se naturam diuinam, secundo dicitur Deus gratia, & sic quilibet bonus homo Deus dicitur, iuxta illud, quod legitur in Pf. 80. *Ego dixi, Dii estis, & filij excelsi omnes,* quod secundum Glossam debet intelligi de hominibus bonis, qui sunt Dii, & quorū quilibet potest dici Deus per gratiam adoptionis: Est ergo hic sermo: *Ego dixi Dii estis, &c.* intelligendus de hominibus bonis; sicut verba, quæ immediatè sequuntur: *Vos autem sicut homines moriemini,* intelligenda sunt de hominibus malis. Tertio modo dicitur

Psal. 80.

Quadrupli-
citer dicitur
Deus, natura, gra-
tia, dominatio,
& cruce.

A Deus dominatione, iuxta illud, quod scribitur Exo. c. 7. *Quia dixit Dominus ad Moysen, ecce constitui te Deum Pharaonis:* vbi Deus idem significat, quod Dominus: dicebatur enim Moyses pro illo tempore constitutus Deus Pharaonis, quia erat constitutus Dominus Pharaonis. Quarto modo sumitur Deus errore, sicut quodlibet simulacrum credebatur Deus ab ijs, qui colebant ipsum: cum ergo quatuor modis possit sumi Deus, non intendimus profequi nisi de duobus, videlicet, quomodo dicitur Deus natura, & gratia, quia solùm ij duo modi faciunt ad nostram quæstionem, & ad nostrum propositum.

Exod. c. 7.

Quare Moyses dicitur
est Deus
Pharaonis.

Propter primum sciendum, quòd Deus dicitur natura aliter, vel secundum rem, loquendo, quia habet naturam in se, & essentiam diuinam, quæ est res simplicissima; & cum quælibet persona habeat singulariter hanc rem simplicissimam: ideo quælibet persona singulariter dicitur Deus naturaliter: & quia hæc res simplicissima, non est nisi in omnibus tribus personis: ideo quælibet persona singulariter dicitur Deus, & omnes tres personæ pluraliter nõ dicuntur nisi vnus Deus. Et quod dictum est de Deo, veritatem habet de Domino, nam quælibet persona singulariter potest dici Dominus, & omnes tres personæ pluraliter, nõ nisi vnus Dominus Trinus, iuxta illud Symb. *Quia sicut sigillatim vnā-*

D. Athan.
in Symb.

quamque personam Deum, & Dominum, confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres Deos, & Dominos dicere Catholica Religione prohibemur. Sic enim sentiendum est de ipsa re, vel de ipsa diuina essentia, per quā quælibet persona est Deus. Sed si quæretur de modo: secundum quem quælibet persona Deus: quamuis sit vna, & eadem res, vel vna, & eadem diuina essentia, per quam quælibet persona est Deus: non tamen est vnus, & idem modus, secundum quem quælibet persona est Deus. Nam Pater, vt dicitur secundo de diuinis nominibus, *est fontana Deitatis, Filius autem, & Spiritus Sanctus, sunt quedam pullulationes Deitatis, vel diuina natura.* Ita quod Deus Pater habet Deitatem modo fontali, quia non habet eam ab alio. Filius autem & Spiritus Sanctus habent eam modo pullulatio, quia habent eam ab alio, vel ab alijs. Nam Filius

D. Dion. 3.
de diu. no.

Personæ di-
uinae nõ ha-
bent eandem
modo Deitatem.

lius

lius habet Deitatem ab alio, quia habet à solo Patre, sed Spiritus Sanctus habet suam Deitatem ab alijs, quia à Patre, & à Filio, iuxta illud Hilarij: *Spiritus Sanctus procedit à Patre, & à Filio Authoribus.*

D. Hilarij.

Et si quæretur, Vtrum dici debeat, quòd Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio authoribus, vel authore: Respondeo, quòd vtrumque posset concedi suo modo, certum est enim, quòd Pater, & Filius non sunt nisi vnum principium Spiritus Sancti, sicut tota Trinitas non est nisi vnum principium creature, vt vult Augustinus libro 5. de Trinitate cap. 13. Nam Pater, & Filius, vt spirant Spiritum Sanctum, sunt plures persone, vel plura supposita spirantia, tamen in eis non est nisi vna virtus spiratiua, videlicet voluntas diuina, per quam Spiritus Sanctus vt amor, & vt donum procedit, quia amorè primum donum procedit. Et ideo ratione vnitatis virtutis spiratiuæ possunt dici Pater, & Filius vnum principium Spiritus Sancti, & hoc modo possunt dici vnus Author: sed ratione pluralitatis suppositorum possunt dici plures authores, vt saluemus hoc modo dictum Hilarij, qui secundum August. in 6. de Trinitat. fuit magnæ authoritatis: *Spiritus Sanctus procedit à Patre, & à Filio Authoribus*, immò hac veritate non obstante, quia Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti, pluribus tamen modis procedit Spiritus Sanctus à Patre, quàm à Filio, quia à Patre procedit mediatè, & immediatè, procedit enim Spiritus Sanctus à Patre, & Filio immediatè, quia tam Pater, quàm Filius habent in se virtutem spiratiuam, per quam producunt Spiritum Sanctum, sed procedit à Patre etiam mediatè, idest mediante Filio, & non è conuersò; Sic etiam non obstante, quòd Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti, dicitur tamen Spiritus Sanctus procedere à Patre principaliter, vt vult August. 15. de Trin. cap. 26, non autem dicitur sic principaliter procedere à Filio, quia Pater dat Filio, vt procedat ab eo Spiritus Sanctus, non autem è conuersò.

D. P. Aug. 5. de Trinit. cap. 13. tom. 3.

Spiritus Sanctus est à Patre, & Filio authore & authoribus.

D. P. Aug. 6. de Trinit. 3.

Spiritus Sanctus pluribus modis procedit à Patre, quàm à Filio.

Spiritus Sanctus procedit à Patre principaliter: à Filio autem non dicitur procedere principaliter.

Redeamus ergo ad propositum, & dicamus, quòd quamuis sit vna res, vt vna essentia, vel natura, per quam qualibet Aegid. super iij. Sent.

A persona est naturaliter Deus, non tamen est vnus modus habendi illam essentiam, vel naturam, quia Pater habet eam modo fontali. Filius autem, & Spiritus Sanctus habent eam modo pullulatiuo, quia sunt quædam pullulationes diuinæ naturæ, vt patet per Dionysium. sed aliter Filius est pullulatio diuinæ naturæ, & aliter Spiritus Sanctus, quia Filius est talis pullulatio naturalis, vel per naturam, concomitante voluntate, quia Pater complacet sibi per voluntatem in Filio naturaliter genito, vel à Patre naturaliter pullulato, sed Spiritus Sanctus è conuersò est pullulatio diuinæ naturæ, quia pullulat, vel pullulatiuè procedit à Patre, & Filio, voluntate cõcomitante natura, quia sic pullulatiuè procedit Spiritus Sanctus a Patre, & Filio voluntate, quòd tamè ei communicatur diuina natura, ratione cuius cõmunicationis diuinæ naturæ, potest dici Spiritus Sanctus pullulatio diuinæ naturæ. Modus ergo producendi Spiritum Sanctum est voluntarius, quia non procedit vt Verbum, sed vt amor, non vt natus, sed vt datus, vel vt donum: quia amor, vt patet supra, est primum donum, quod primò datur, & in quo dantur omnia dona. Benè ergo dictum est, quòd Filius procedit a Patre, vel pullulat a Patre natura, concomitante voluntate, sed Spiritus Sanctus pullulat a Patre, & Filio voluntate, concomitante natura.

Filius procedit a Patre per naturam concomitante voluntate; & Spiritus Sanctus procedit ab utroque per voluntatem concomitante natura.

Amor est primum donum.

Potentia generandi, & spirandi dicit quid.

Magist. sentent. 1. lib. dist. 7.

D. Damasci lib. 1. c. 8.

Ex dictis autem potest apparere improprietas dicentium, quòd potentia generandi, vel spirandi, vel potentia producendi quamcunque personam diuinam non dicit quid, sed ad aliquid, cum Dionysius appellet Filium, & Spiritum Sanctum pullulationes diuinæ naturæ: sed cum natura diuina dicat quid, non ad aliquid, & potentia generandi, & a simili potentia spirandi, dicat, quid, non ad aliquid, ideo Magister, & benè in primo sententiarum dicit, quòd Pater non est potens generare nisi natura, & Damascenus lib. 1. cap. 8. ait: *Generatio est opus natura.*

Prosequuti ergo sumus hanc materiam quomodo Deus dicitur natura, & quantum ad rem, & quantum ad modum, vt ex hoc habeamus materiam defendendi, quomodo nomè Dei competat bonis homini-

Deus nō solum homines, sed etiam Angelos per gratiam adoptionis sibi adoptat in filios.

Vnde adoptio trās-lata est ad diuinā,

Adoptatus in filium, dicitur Deus graciosē.

Homo in gratia dum est viator, est Deus in spe, qui si persistat, in patria erit Deus in re, per gratiā adoptionis

1. Cor. 13.

minibus per gratiam adoptionis, quod A magis directè spectat ad nostrum propositum, cum omnes quæstiones motæ sint de gratia adoptionis, quomodo Deus nos homines per gratiam adoptionis ibi adoptat in filios, quæ quæstio posset etiam existendi ad Angelos. Nam Deus non solum homines, sed etiam Angelos sibi per gratiam adoptionis adoptat in filios.

Sciendum ergo, vt communiter dicitur, & benè, quòd adoptio ab ijs, quæ videmus in humanis, idest in legibus ab hominibus conditis, translata est ad diuinā, vt dicatur Deus aliquos sibi de hominibus in filios adoptare, sicut & homines extraneas personas ab eorum hæreditate in filios sibi adoptant, vt extranei filij per huiusmodi adoptionem sint participes hæreditatis adoptantium. Quia ergo nunquam aliquis homo adoptat sibi in filium canem, vel catum, sed semper hominem, licet per gratiam, & graciosè: ita à simili nunquam Deus adoptabit aliquem sibi in filium, nisi per gratiam, vel graciosè ille in filium adoptatus sit Deus. In quo verificatur dictum commune, quòd non solum dat natura Deum, sed dat gratia, secundum quem modum verificamus Prophetæ dictum de omnibus hominibus, habentibus diuinam gratiam, quod sunt filij, & sunt filij hæreditarij Dei excelsi, omnes.

In hoc ergo stabit verificatio dicti nostri, quòd etiam concordat cum dicto communi, vt quilibet habens diuinam gratiam, Deus sit hic in via in spe. Et si persistat in tali gratia, erit Deus in patria in re. Quod sic declaratur. Nam quamdiu sumus in via, & sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, ita vt quamdiu sumus in hoc corpore, videamus Deum per speculum, etiam in ænigmate, sed in Patria videbimus Deum facie ad faciem, vt dicit Apostolus 1. ad Cor. 13. Vel vt dicamus, vt ibidem Apostolus subdit: *Nunc cognosco ex parte*, idest perfectè, *Tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*. Ex hoc autem habere possumus, quòd quilibet Beatus, non solum in spe, secundum quem modum, est quilibet bonus hic in via, sed etiam in re poterit in patria dici quidam Deus, vel poterit di-

ci Deus. Hoc autem est rationabile, quia sicut non est filius hominis, nisi qui est homo, ita non debet dici filius Dei, nisi qui est Deus, vel in spe, vt in via, vel in re, vt in patria; quòd autem quilibet futurus sit Deus in patria sic patere potest.

Nam hoc est proprium solius Dei, vt per essentiam suam cognoscat se, & alia: & si creaturis potest hoc competere, quòd cognoscant se per essentiam suam, alia tamen non possunt cognoscere per essentiam suam. Angelus enim si cognoscendo essentiam suam, cognoscit se, cognoscendo tamen essentiam suam, non cognoscit alia à se, sed ea cognoscit per species aliorum. Et ideo in libro de Causis, Propositione decima. dicitur, quòd omnis intelligentia est plena formis, idest, speciebus, per quas cognoscit alia à se. Soli Deo est hoc proprium, vt cognoscendo essentiam suam, cognoscat se, & alia. Et quia hoc habebit Beatus quilibet in patria, quòd per essentiam Dei cognoscat Deum, & alia quæ sunt in Deo, ideo quilibet Beatus in patria erit quidam Deus. Hoc est ergo, quòd ait Apostolus 1. Corinth. in loco præallegato: *Nunc autem cognosco ex parte; tunc autem, idest in patria, cognoscam sicut & cognitus sum*. Cum ergo quilibet Beatus sit cognitus à Deo per essentiam Dei, quilibet Beatus cognoscat Deum per essentiam Dei.

Ipsa ergo essentia Dei immediatè per se ipsam erit medium formale in quolibet Beato ad cognoscendum Deum, & alia quæ sunt in Deo, dicente Gregorio: *Quid est, quòd non videant, qui videntem omnia vident*. Quilibet ergo Beatus videt Deum, & videt omnia in Deo, omnia scilicet, sine quibus non potest esse Beatus. Nam licet videns speculum, videat omnia, quæ relucet in speculo. Deus tamen est speculum voluntarium, ideo quilibet in Patria videns Deum, est Beatus, quia videt in Deo omnia, quæ requiruntur ad Beatificationem: & videt omnia, sine quibus non potest esse Beatus, tamen non oportet, vt quilibet Beatus videat simpliciter omnia, sed cum Deus sit speculum voluntarium, videndo Deum, videt in Deo seipsum, & alia à Deo, prout vult sibi reuelare. Immo quilibet Be-

Sicut non potest dici filius hominis, nisi qui est homo, ita non poterit dici filius Dei, nisi qui est Deus.

Angelus cognoscit se per essentiam suam, alia à se per species aliorum.

Cur in patria quilibet Beatus dicatur quidam Deus.

Essentia Dei erit mediū formale in quolibet Beato ad cognoscendum Deum, & ea quæ sunt in Deo.

Beatus, & quilibet Angelus (secundum Aug. in lib. de Civ. Dei) perfectius videt, & cognoscit se in Deo, quam in se ipso, in hoc ergo stabit beatitudo nostra, quod quilibet beatus adipiscetur in seipso ipsam essentiam diuinam, non per aliam speciem, sed per ipsam essentiam videt Deum, & alia, quae sunt in Deo, & quia sic adipisci diuinam essentiam, est adipisci id, quod est proprium solius Dei, videlicet quod per essentiam suam cognoscat se, & alia, ideo quilibet Beatus sic adipiscens diuinam essentiam, merebitur dici Deus: hoc autem, quod habemus ex verbis Apostoli Pauli, quod in patria, quando erit realiter Beatus, cognoscat Deum, sicut cognitus est a Deo, & ex hoc merebitur dici Deus per gratiam, quia gratia erit quod admittatur sic ad visionem Dei, ut potest haberi ex 1. Canonica Io. c. 3. vbi dicitur: *Nunc filij Dei sumus*, supple per gratiam, per quam sumus nunc Dij in spe. Et quia spes est de non visis, ideo ibi subditur: *nondum apparuit, quid erimus*, & sequitur: *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*, sed cum quodlibet sit id, quod est, per essentiam suam: ergo si videbimus Deum, sicuti est, videbimus Deum per essentiam suam.

Consequetur ergo quilibet beatus essentiam diuinam, vel ipsam Deitatem, tanquam medium formale ad videndum Deum, & in hoc similes ei erimus, quia sicut ipse Deus videt se, & ea, quae sunt in se, ita quilibet Beatus per essentiam diuinam, non per aliam speciem videbit Deum, id est, ea quae sunt in Deo. Vel similes ei erimus, quia quilibet nostrum sic adipiscens Deitatem, merebitur dici Deus: nam ut iam diximus, quilibet nostrum, vel quilibet Beatus merebitur dici Beatus in patria, quia ibi adipiscetur, quod est proprium solius Dei. In hoc ergo est simile de hominibus adoptatis in hereditatem aliorum hominum, & de hominibus adoptatis in hereditatem Dei, quia, sicut nullus adoptatur in hereditatem hominis, nisi sit homo, quia, ut diximus, nullus adoptatur in hereditatem suam, vel catum in hereditatem suam, sed hominem tantum, sic nullus adoptatur in hereditatem Dei, nisi sit Deus in spe, hic in via, vel in re ibi in patria. Ex nunc enim habentes gratiam, sumus filij

Aegid. super iij. Sent.

A Dei, & meremur dici Dij per gratiam. Dat ergo natura, quod aliquis sit Deus, secundum quem modum est tota Trinitas, & dat hoc gratia, secundum quem modum quilibet homo bonus per gratiam, est Deus, quia est Filius Dei per gratiam, ex nunc ergo sumus filij Dei, sed nondum apparet quid erimus, quia adipiscimur ipsam Deitatem ad videndum Deum, & ea, quae sunt in Deo: merebitur enim tunc quilibet Beatus, ut dictum est, dici Deus, quia adipiscetur id, quod est solius Dei proprium.

B Et licet sit aliquo modo simile de adoptione hominum in hereditatem humanam, & de adoptione Dei in hereditatem diuinam, tamen est multum dissimile, quia nullus homo adoptat aliquem in hereditatem suam, nisi ille sit naturaliter homo, sed Deus adoptat aliquos ut homines, vel Angelos in hereditatem suam, qui non sunt naturaliter Dij, sed per gratiam adoptionis, habent quod dicantur filij Dei, vel etiam quod dicantur Dij, & si sunt filij Dei: ergo & heredes Dei, iuxta illud Apostoli ad Rom. 8. *Si filij, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*. Patet ergo solutio ad questionem primo quaesitam, videlicet, quod ad Deum spectat adoptare alios sibi in filios per gratiam adoptionis, ut sint eius filij, & heredes, quamuis non sint eius filij naturales, sicut homines adoptant sibi alios in filios, & in eorum heredes, quamuis non sint eorum filij naturales.

RESP. AD ARGUMENTA.

D Ad primum dicendum, quod omnes sumus filij Dei per creationem, quia omnes habemus esse a Deo, tamen non sumus filij Dei, ut ex creatione, & ex eo, quod habemus a Deo, debeatur nobis hereditas Dei, & ideo quantum ad hereditatem diuinam habendam sumus extranei a Deo, sed per gratiam adoptionis sumus filij Dei, meremur dici dij, & filij Dei, & heredes.

Ad secundum dicendum, quod non omnis similitudo currit quatuor pedibus, vel non omne simile est per omnia simile, quia tunc esset idem, non autem simile, similitudo enim non est rerum earundem, sed rerum differentium. In hoc ergo est

N n 2 simi-

Beatus non per aliam speciem videt essentiam diuinam.

1. Io. c. 3.

Spes est de non visis.

Dissimilitudo inter di & as adoptiones.

Rom. c. 8.

Similitudo adoptionis Dei cum adoptionibus hominum, in quo consistat.

alio extraneo a Deo dupliciter intelligi potest, quantum ad creationem, vel quantum ad hereditatem: secundo modo sumus extranei, non primo.

Similitudo consistit in aliquibus, non in omnibus.

simile, quod sicut homines adoptant sibi eos in filios per gratiam, qui non sunt naturaliter filij, & hæredes; sic Deus adoptat sibi nos homines in filios per gratiam adoptionis, ut simus eius filij, & hæredes per gratiam, quod non sumus sic filij, & hæredes per naturam.

Valeat argumentum de hereditate quæ est diuisibilis, nõ autem de Deo, qui est hereditas nostra.

Notandum

Deus ut Deus non est subiectum in aliqua scientia creata.

Damasce-

Nomẽ Dei importatur infinitas positiuẽ, & nomine infiniti importatur infinitas priuatiuẽ, vel negatiuẽ.


Ad tertium dicendũ, quod hoc accidit hereditati, ut diuidatur in plures partes, quia non potest quilibet totam habere solus, sed si posset eam quilibet habere solus, placeret Patri, ut quilibet eius filius succederet in totam eius hereditatem, sed quilibet Beatus habebit in se totũ Deũ, & erit eius hereditas totus Deus, ideo nõ oportet, ut talis hereditas condiuidatur, quia cum nullus sit Beatus, nisi habeat in se totum Deum, quilibet habebit huiusmodi hereditatem totam, absque eo, quod diuidatur. Potest autem quoddam valde notabile haberi ex dictis. Diximus namq; Deum esse speculum volũtarium, & quod videns Deum, non oportet, ut videat omnia, quæ relucent in ipso, sed videt ea, sine quibus non potest esse Beatus, & eam tãtũ quæ vult Deus, ut videat in seipso. Hoc enim modo Deus est solũ subiectũ, & scientia Dei, quam habet de seipso, ut nihil lateat eum, nec factum, nec possibile fieri: nam infinitæ species numerorum, quorum non est numerus, notæ sunt apud Deum, cuius sapientiæ non est numerus, Deus ergo in eo quod Deus, nõ est subiectum in aliqua scientia creata, nec in aliqua scientia alicuius puræ creaturæ, quia tũc illa esset infinita, quod non potest competere scientiæ alicuius puræ creaturæ, magis enim inconueniẽs est dicere, quod Deus, in eo quod Deus, absolutè est subiectum in aliqua scientia creata, vel in aliqua scientia finita, quàm dicere, quod infinitum, in eo quod infinitum, est huiusmodi subiectũ. plus enim importatur hoc, quod est infinitum nomine Dei, quàm nomine infiniti, quia secundũ Damascenum importatur nomine Dei quoddam pelagus substantiæ infinitum; nomine ergo Dei importatur infinitum positiuẽ, sed nomine infiniti importatur infinitum priuatiuẽ, vel negatiuẽ: quia hoc est infinitum, quod non finitur negatiuẽ, vel quod non aptum finiri priuatiuẽ. Cum ergo infinitas positiuã, quæ importatur nomine Dei

præualeat infinitati priuatiuẽ, vel negatiuẽ, quæ importatur nomine Dei infiniti, magis est inconueniens dicere, quod Deus, in eo quod Deus, sub absoluta ratione sit subiectum in aliqua scientia finita, & creata, quàm dicere, quod infinitum in eo quod infinitum est ibi subiectũ, cum ergo nullus sanæ mentis diceret hoc, nullus sanæ mentis debet dicere illud.

A R T I C. II.

Utrum adoptare aliquos in filios sit proprium Dei Patris. Conclusio est negatiua.

D. Thom. 3. p. q. 23. art. 2. Caiet. Med. Cabr. ibidem.



ULTERIVS autem posset aliquis dubitare, dato, quod Deo competat aliquos in filios adoptare: Vtrũ hoc sit proprium Dei Patris. Et videtur, quod sic. Nam, ut dictum est, & ut cõmuniter dicitur, per ea, quæ videmus de adoptione in legibus hominum, translata sunt ista ad Deum; sed in legibus sic se habet, quod eius est adoptare, cuius est naturaliter filios generare, in diuinis autem solius Patris est Filium generare; ergo solius eius erit filios adoptare.

Præterea. per adoptionem possumus dici fratres Christi, iuxta illud ad Rom. c. 8. *Ipse enim spiritus testimonium reddit, quod sumus Dei filij, si autem filij, & hæredes.* & ibidem subditur: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi:* sed Christus non est Filius, nisi Dei Patris, ut supra 4. distinctione dictum est: si ergo nos sumus filij adoptiuũ, erimus filij Dei Patris tantũ.

Præterea. Supra dictum est, quod solus Filius fuit incarnatus, ne nomen Filij traheretur ad aliam personã: sed non minus videtur inconueniens, quod nomen Filij trahatur ad aliam personam, quàm quod nomẽ Patris trahatur ad personam aliam: ergo solius Patris erit alios in filios adoptare, ne nomen Patris trahatur ad aliam personam.

IN CONTRARIUM est, quia omne nomen significans effectum in creaturis est commune toti Trinitati: sed adoptare significat effectum gratiæ in creatura: ergo erit commune toti Trinitati.

Præterea. Tota Trinitas dicitur Pater noster, cum indiuisa sint opera Trinitatis, quia est indiuisa substantia, sed eo modo adoptamur in filios Dei, secundum quod Deus est Pater noster: cum ergo tota Trinitas sit Pater noster, si sumus filij Dei adoptiui, hoc erit, prout tota Trinitas est Deus, & prout hoc modo sumptus Deus est Pater noster.

Deus tota Trinitas est Pater noster.

RESOLVTIO.

Quia tota Trinitas habet potentiam creatiuam immediatè, ideo ipsa immediatè dicitur Pater noster, & nos immediatè adoptari in filios. Prima autem persona, quia talem virtutem non habet ab alio, immò Filius habet eam ab ipso, scilicet Patre, & Spiritus Sanctus ab utroque: ideo ipsa prima persona potest dici Pater noster principaliter, & per consequens potest dici, nos principaliter adoptare.

A secundum Artic. in quo queritur: Vtrum adoptare conueniat soli Patri, & quomodo accipiat ibi Pater, cuius nos sumus filij adoptiui. Vtrum propriè possit stare pro sola persona Patris, vel non possit dici propriè Pater noster, nisi sit tota Trinitas: dici debet, quod hæc sibi non aduersantur, vt tota Trinitas sit Pater noster, & sola persona Patris etiam propriè dicatur Pater noster, dicente Apostolo ad Ephes. *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in Cælo, & in terra nominatur.* Et cum Dominus Noster Iesus Christus, non solum sit verus, & perfectus homo, sed etiam verus, & perfectus Deus, cuius veri, & perfecti Dei sola persona Patris est propriè Pater; ergo Pater quoq; creaturæ dici potest, non solum tota Trinitas, sed etiam sola persona Patris, auter tamen, & aliter. Nam cum hac additione, *immediatè*, tota Trinitas est Pater noster. Siquidem immediatè Pater noster potest

Pater creaturæ nõ solum potest dici tota Trinitas, sed etiam ipsa persona Patris.

Aegid. super iij. Sent.

A dici omnis illa persona diuina, cui cõmunicata est virtus, & potentia creandi, & quia toti Trinitati, & vnique personæ competit habere virtutem, & potentiam creandi, ideo tota Trinitas hoc modo est Pater noster, & sicut cum hac conditione *immediatè*, tota Trinitas est Pater noster per creationem, sic cum hac conditione, *principaliter*, sola persona Patris simpliciter, & absolutè loquendo, est Pater noster. Nam vt patuit 5. de Trinit. cap. 13. August. vult, quod Pater, & Filius sint vnum principium Spiritus Sancti, sicut

Tota Trinitas immediatè est Pater noster: Pater autè æternus est pater noster principaliter

B tota Trinitas est vnum principium creaturæ, sed Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti, quia quilibet tam Pater, quàm Filius habet in se virtutem spiratiuam, per quam produunt immediatè Spiritum Sanctum; hoc tamen non obstante, quod Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti, pluribus modis procedit Spiritus Sanctus à Patre, quàm à Filio, quia à Patre procedit mediata, & immediatè. Pater enim dat ipsi Filio, quod producat Spiritum Sanctum: ergo vt procedit à Patre, non procedit à Filio, quia Filius non dat hoc Patri, sed è conuersò. A Patre ergo procedit mediata, prout dat hoc Filio, & immediatè, quia est vna virtus spiratiua in Patre, & Filio. Ex hac autem differentia, quod Spiritus Sanctus procedit à Patre mediata, & immediatè. Sumitur secunda differentia, quam pertractat August. vt supra diximus 16. de Trinit. c. 26. quod Spiritus Sanctus procedit à Patre principaliter, quia Pater non habet ab alio vt producat Spiritum Sanctum, sed hoc modo non dicitur procedere principaliter à Filio, quia Filius hoc habet ab alio, videlicet à Patre, nam secundum Hilarium: *Filius nihil habet, nisi natus*, idest quod nascendo accepit. Quod autem dictum est de productione Spiritus Sancti, potest dici de productione cuiuslibet creaturæ, & poterit similiter dici de ipsa gratia adoptionis, per quã sumus filij adoptiui. Nam si Spiritus Sanctus, qui est persona simplicissima, hoc modo producitur à Patre, & Filio, vt à Patre producatur pluribus modis, quàm à Filio, multò magis de ipsa Creatura, quæ est cõposita, vel ex his, scilicet ex potentia, & actu, vel

D. P. Aug 16. de Trin. c. 26. to. 3.

D. Hilar.

Compositio ex his, & compositio huic.

Quid sit
procedere
ab alio prin-
cipaliter.

huic, secundum quem modum est compo-
sita ipsa potentia, quæ componitur actui,
& est compositus ipse actus, cui compo-
nitur ipsa potentia, verificabitur, quod sit
à tota Trinitate. Quantū igitur ad produ-
ctionē creaturæ cum hac conditione, *im-*
mediatè, tota Trinitas est pater Creaturæ,
sed cum hac conditione *principaliter*, sola
persona Patris est principium creaturæ.
Nam hoc est procedere principaliter ab
aliquo, quando ille aliquis non habet
hoc ab alio, vt producat rem illam, &
quia Pater non habet hanc potentiam ab
alio, vt producat, & creet creaturam,
sed Filius habet hoc à Patre, & Spiritus
Sanctus ab utroque, ideo simpliciter, &
absolutè loquendo, creatio, vel quælibet
creatura est à sola persona Patris prin-
cipaliter, quia Pater dat cuilibet personæ,
quod creet, & possit creare, quia commu-
nicat cuilibet personæ diuinæ illam ean-
dem potentiam, quam habet, per quam
fit creatio: cum ergo Pater, & Filius sic
immediatè producant Spiritum Sanctum,
vt Spiritus Sanctus procedat pluribus
modis à Patre, quàm à Filio, & dicatur
principaliter procedere à Patre, non au-
tem principaliter procedere à Filio: cum
tota Trinitas ita sit principium cuiusli-
bet creaturæ, sicut Pater, & Filius sunt
principium Spiritus Sancti, dicetur quæ-
libet creatura ita procedere immediatè à
tota Trinitate, vt pluribus modis proce-
dat à Patre, quàm à Filio, vel Spiritu
Sancto. Nam quælibet creatura à Patre
procedit tripliciter: à Filio dupliciter, à
Spiritu Sancto vno tantum modo.

Creatura
quælibet
procedit à
Patre tripli-
citer, à Fi-
lio duplici-
ter, à Spiri-
tu Sancto
vno modo.

Procedit à Patre tripliciter: quia pro-
cedit ab ipso immediatè, cum habeat illā
eandem virtutem, & potentiam creandi,
quā habent Filius, & Spiritus Sanctus. Se-
cundò procedit à Patre, mediante Filio,
quia Pater talem potentiam creandi de-
dit, & communicauit Filio. Tertio quæ-
libet creatura procedit à Patre, & Filio,
mediante Spiritu Sancto, quia Pater, &
Filius producendo Spiritum Sanctum,
dederunt ei, vt esset vnus Deus cum
eis, & vnus Creator cum ipsis, & sic Pater
potentiā creandi habet à nullo, Filius au-
tem, & Spiritus Sanctus habet à Patre, quia
hoc est producere aliquā rem principaliter
nō habere hoc ab alio: a solo igitur Pa-

A tre producit creatura principaliter, quia
solus Pater nō habet hoc ab alio, vt creet,
& producat creaturā: posset ergo concedi,
quòd creatura procedit a Filio aliquo
modo principaliter, quia Filius alicui
communicat, vt possit creare, quia
communicat hoc Spiritui Sancto, vnā
cum Patre. Simpliciter ergo, etiam ab-
solutè loquendo, competit soli Patri prin-
cipaliter producere creaturam, aliquo ta-
men modo hoc principaliter competit Fi-
lio, cum Filius vnā cum Patre hoc com-
municet alij personæ diuinæ, scilicet Spi-
ritui Sancto.

Quomodo
concedi pos-
set creatu-
ram proce-
dere à Filio
principaliter.

B Ex omnibus his patet, quòd Pater-
nitas respectu creaturæ, vt sumitur *imme-*
diatè, conuenit toti Trinitati, quia tota
Trinitas immediatè est Pater noster. Di-
cimus autem immediatè creare, omne
illud suppositum, vel omnem illam perso-
nam, quæ habet in se potentiam creandi,
& quia hoc habet tota Trinitas, ideo lo-
quendo immediatè de creatione, vel de
potentia creandi tota Trinitas est Pater no-
ster: sed loquendo de creatione principa-
liter, prout dicit nō habere potentiā crean-
di ab alio, solus Pater, vel sola persona
Patris dicitur hoc modo Pater noster, quia
sola persona Patris producit principaliter
creaturam, quia non habet ab alio poten-
tiam creandi: & quia Pater dicitur ille,
a quo res aliqua principaliter, secundum
quem modum in animalibus Filius pro-
cedit principaliter à Patre, a quo habet
animam, & non a matre, a qua habet
corpus, quod in animalibus brutis est sim-
pliciter verum, cum habeant animam
eductam de potentia materiæ. In homine
verò, quia habet animam intellectiuam,
quæ non educitur de potentia materiæ,
est verum solū dispositiuè, quia virtus
in femine viri disponit menstruum mulie-
ris ad suscipiendum animam intellectu-
uam. Et ideo ait Philosophus in 16. de
Animalibus, quòd solus intellectus est ab
extra, & in lib. de Anima, dicit: *Intelle-*
ctus alterum genus est, & separatur ab
alijs, idest à vegetatiuo, & sensitiuo, *sc-*
ilicet perpetuum à corruptibili. Ibi autem
vegetatiuum, & sensitiuum dicunt aliam,
& aliam potentiam, & non oportet, vt
dicant aliam, & aliam essentiam: si ergo
per esse Patrem, volumus sumere esse
prin-

Quid est
creare im-
mediatè.

Arist. 16. de
anim. & 2.
de ani. 1. 21

In homine
vegetatiuum
& sensitiuum
dicunt aliam,
& aliam po-
tentiam, nō
aliam, & al-
iam essen-
tiam.

principaliter productorem, & principaliter creatorem, sic persona Patris dici potest illa persona, a qua principaliter est creatura: verba igitur Apostoli ad Philippen. 3. *A quo omnis paternitas in Cælo, &c.* possunt verificari de sola persona Patris, modo quo dictum est.

RESP. AD ARGUMENTA.

Paternitas diversissime sumpta eo mpeit toti Trinitati, & personæ Patris

Christus vt Deus, est Filius solius Patris: vt homo est filius totius Trinitatis per gratiam vnionis.


Ad primum dicendum, quòd, vt patet per habita, accipiendo paternitatem aliter, & aliter, potest competere paternitas actionis, toti Trinitati, & soli personæ Patris.

Ad secundum dicendum, quòd Christus est Filius Patris, vtroque modo, quia vt Deus, est Filius solius Patris: sed vt homo, quia hoc modo est filius per gratiam vnionis, potest dici filius totius Trinitatis, quia tota Trinitas induit Filium carne, secundum quem modum factus est homo. Propter quod ponitur exemplum de tribus personis nudis, quarum duæ induerunt tertiam, & tertia induit seipsam. Pater ergo, & Spiritus Sanctus induerunt Filium carne, & Filius induit seipsum carne, per quem factus est homo: Vel possemus dicere, quòd ipsa incarnatio, sicut & alia opera, facta est a tota Trinitate immediatè, sed facta est a persona Patris principaliter, modo quo dictum est.

Non currit similitudo de paternitate, & filiatione, quia ista importat incongruitatem, quam non importat illa.

Ad tertium dicendum, quòd non est simile de Trinitate, & de filiatione, quia Pater dicit id, quod est principium alterius, sed Filius dicit id, quod est a principio. Paternitas ergo non repugnat Trinitati, quia tota Trinitas potest dici pater creaturæ, sed non sic filiatio, quia non sic tota Trinitas potest dici filius alicuius. Etenim ante incarnationem tota Trinitas erat pater, sed per creationem.

Aliqua ergo incongruitas esset, si tota Trinitas esset filius, sed nulla incongruitas est, si tota Trinitas sit Pater, & maxime si sit Pater per creationem.



ARTIC. III.

Vtrum personæ Filij, vel personæ Spiritus Sancti sit adoptare. Conclusio est negatiua.



VLTERIVS autem, quia dubitatum est, cum diximus, quòd Deus Pater adoptat nos homines in filios, Vtrum hoc loco Pater stet pro persona Patris, & vtrum personæ Patris sit adoptare: posset aliquis dubitare, Vtrū personæ Filij, vel personæ Spiritus Sancti sit adoptare. Et videtur, quòd sit personæ Filij. Nam, vt dicitur ad Gal. 4. *Vbi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum factum ex muliere, vt adoptionem filiorum recipere-*

Gal. c. 4.

mus: ergo &c. Præterea. Secundum Philosophum in 2. Metaph. *Semper primum in aliquo genere est causa omnium illorum, que sunt post.* sed filiatio primò inuenitur in Filio Dei per naturam: ergo per ipsum inuenitur in omnibus alijs filijs per gratiam.

Arist. 2. Metaph. c. 4.

Præterea. Videtur, quòd fiat per Spiritum Sanctum, quia vt dicitur ad Rom. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.*

Rom. c. 8.

Præterea. per charitatem efficimur filij Dei adoptiui: sed charitas appropriatur Spiritui Sancto: ergo &c.

R E S O L V T I O.

In adoptione tria considerantur, idest principalitas actionis, modus agendi, & ipsa res acta: primum specialiter competit Patri: secundum Filio: & tertium Spiritui Sancto.

D hunc tertium Articulum, in quo quæritur, Vtrum personæ Filij, vel personæ Spiritus Sancti conueniat adoptare aliquos in filios.

Dicendum, quòd filiatio potest sumi sex modis, videlicet creatione, factione, & pos-

Filiatio sex modis contingere potest.

& possessione : natura: gratia vnionis : & gratia adoptionis . Tres autem primæ filiationes possunt esse communes bonis , & malis : quilibet enim tam bonus , quàm malus , est filius Dei creatione , quantum ad animam , factione , quantum ad corpus . possessione , quantum ad vtrumque ; ideo initio Cantici . *Audite Cæli . quod habetur Deut. 32. dicitur de istis tribus filiationibus : Popule stulte , & insipiens nunquid non ipse est Pater tuus , qui possedit te , fecit te , & creauit te .* Cum ergo creare sit de nihilo aliquid facere , & facere sit de subiecta materia aliquid operari , possessio verò dici possit , quando tam factum , quàm creatum in suo esse conseruatur . Deus ergo potest dici Pater noster creatione quantum ad animam , quam de nihilo creauit , & factione quantum ad corpus , quod de menstruo matris virtute virilis seminis , communiter loquendo , formauit , & fecit . Et potest dici possessor vtriusque , quia suo modo in esse conseruat . Hæ autem tres filiationes non sunt de filiationibus illis , de quibus loquitur Apostolus ad Rom. 8. *Si autem filij , & hæredes , hæredes quidem Dei , cohæredes autem Christi .* Nam stulti , & insipientes non possunt esse hæredes Dei , vel cohæredes Christi , sed tales sunt soli prudentes , vel solæ prudentes animæ , quæ acceperunt oleum , idest bona opera , & bonam intentionem in bonis operibus , cum lampadibus , non autem hoc fecerunt illa fatua , quæ accipientes lampades , non sumpserunt oleum secum , quia in bonis operibus non habuerunt bonam intentionem , sed fortè inanem gloriam .

His ergo tribus filiationibus prætermisissis , quas stulti , & insipientes habere possunt . De alijs tribus filiationibus exequamur , Dicebatur autem alia triplex filiatio , quarum prima est filiatio Dei , per naturam , secundum quam solus Christus , in eo quod Deus , est solius Dei Patris Filius . Secunda filiatio est per gratiam vnionis , secundum quem modum solus Christus , in eo quod homo , est Filius Dei . Tertia eum filiatio est per gratiam adoptionis , secundum quem modum quilibet bonus Christianus est filius Dei adoptiuus per gratiam adoptionis . Hæc est ergo differentia inter Christum , secundum

A quod homo , & alios bonos homines , & Christianos , quia Christus , secundum quod homo , est Filius Dei , non adoptiuus , vel per gratia adoptionis , sed per gratiam vnionis , illi autem boni homines vel boni Christiani sunt filij Dei adoptiuus per gratiam adoptionis : cum ergo cuilibet personæ diuinæ competat adoptio , dici debet , quod adoptatio , idest adoptare sibi homines in filios , potest specialiter competere personæ Patris . Secundò potest competere specialiter personæ Filij , & tertio potest specialiter competere personæ Spiritus Sancti . Nam in adoptione , qua adoptatur aliqua pura creatura (quod quidem non potest competere Christo , vt sit filius adoptiuus , iuxta illud Ambrosij , quod habetur in Glossa ad Romanos 1. *Volui , & reuolui Scripturam diuinam , & Christum esse Filium adoptiuum nunquam inueni*) seu quatenus adoptari potest competere puris hominibus , qui sunt puræ creaturæ , tria sunt consideranda , sicut in ipsa creatione , videlicet , principalitas actionis , modus agendi , & res acta .

C Quantum enim ad principalitatem actionis , adoptio specialiter competit personæ Patris , quantum ad modum agendi specialiter competit personæ Filij , quantum ad rem actam , specialiter competit personæ Spiritus Sancti . Adoptio enim est creatio , & omnis actio transiens in exteriorem substantiam , siue in ipsam creaturam , quantum ad principalitatem specialiter competit personæ Patris . Nam licet sint indiuisa opera Trinitatis , sicut est indiuisa substantia , propter quod vna simplici creatione tota Trinitas creat , & producit creaturam , hoc tamen non obstante Pater creat , & producit creaturam principaliter : gratia ergo adoptionis , per quam adoptamur , & sumus filij Dei adoptiuus , vt est quedam creatura , est principaliter à Patre ; simile est enim de productione cuiuslibet creature , quod est principaliter à Patre , sicut est de spiratione , & productione Spiritus Sancti , quod est principaliter à Patre . Nam licet vnica simplici spiratione Pater , & Filius spirant , & producant Spiritum Sanctum . Hoc tamen non obstante , Spiritus Sanctus , est principaliter à Patre , vt patet per August.

Deut. e. 32.

Creare
quid sit .
Quid sit fa-
cere .
Quid sit
possidere .

Rom. c. 8.

Qui dicantur hæredes Dei , & cohæredes Christi .

Math. e. 25

Christus secundum quod homo , est Filius Dei non adoptiuus , sed per gratiam vnionis : alij verò homines dicuntur filij Dei per gratiam adoptionis

D. Amb. super epistolam ad Romanos.

Adoptio ratione principalis actionis specialiter conuenit Patri : ratione modi agendi , Filio : & ratione rei actæ Spiritui Sancto .

Gratia adoptionis vt est quid creaturæ est principaliter à Patre

D. P. Aug.
15. de Trinit.
cap. 26.
tom. 3.

15. de Trinit. cap. 26. Dicitur enim Spiritus Sanctus esse principaliter a Patre, quia Pater non habet hoc ab alio; non autem sic principaliter dicitur esse a Filio, quia Filius habet à Patre. Pari ergo ratione gratia adoptionis, & quælibet creatura est principaliter à Patre, quia quod Pater creet, non habet hoc ab alio, sed Filius, & Spiritus Sanctus hoc habent à Patre, & si volumus hoc retorquere in diuinam substantiam, quia indiuisa sunt opera Trinitatis, sicut est indiuisa substantia. Dicemus cum Dionysio 2. de diuinis nominibus: *Pater est fontana Deitatis, Filius autem, & Spiritus Sanctus sunt quædam pullulationes, & quidam flores diuine naturæ.* Pater ergo, licet habeat vnam, & indiuisam Deitatem, cum Filio, & Spiritu Sancto: tamen habet esse fontaliter, & est fontana Deitatis, Filius autem, & Spiritus Sanctus habent esse pullulatiuè, & sunt quædam pullulationes Deitatis, vel diuinæ naturæ. Quod ergo dictum est de productione Spiritus Sancti, quod est principaliter à Patre, veritatem habet de productione cuiuslibet creaturæ, quia quælibet creatura est principaliter à persona Patris, quæ, vt creet, non habet ab alio, sed Filius, & Spiritus Sanctus, vt creent, non habent à se, sed habent hoc à Patre. Nam sicut dicit Hilarius de Filio: *Filius nihil habet nisi natum*, idest quod nascendo accepit, ita posset dici de Spiritu Sancto, quod nihil habet nisi inspiratum, idest quod procedendo à Patre, & Filio, per spirationem accepit. Gratia ergo adoptionis, per quam sumus filij Dei adoptiui est principaliter à Patre, ideo quantum ad principalitatem tem actionis adoptio specialiter competit Patri.

D. Dion. lib.
2. de diuina.
nom.

D. Hilar.

Quantum ad
modum agendi
quælibet
actio specialiter
competit Filio.
Psal. 148.
Gen. c. 1.
D. P. Aug. in
Gen. to. 1.
& Confess.
1. tom. 1.

Sed quantum ad modum agendi adoptio, & quælibet actio specialiter competit Filio. Nam Deus vt Deus, non habet manus, & ideo non aliter operatur, quam dicendo, iuxta illud: *Ille dixit, & facta sunt, &c.* & illud Gen. 1. *Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux*, quod exponens Augustinus ait: *Dixit, idest Verbum genui, in quo erat, vt feret.* Propter quod idem August. 1. 1. Confessionum, volens declarare, quomodo Deus, dicendo, idest, Verbum producendo, operatur, ait: *Vno ver-*

bo aeterno tibi coaeterno, simul, & sempiterno, dicis omnia, quæ dicis, & fit quicquid dicis, vt fiat. Nec aliter quod dicendo facis. Sicut ergo quantum ad principalitatem actionis omnia dicuntur specialiter à Patre, sic quantum ad modum agendi, quia Deus non aliter quam dicendo facit, omnia dicuntur esse à Verbo, & per Verbum. Propter quod ipsa adoptio filiorum, si consideretur modus, per quem agit Deus, specialiter est à Filio, & per Filium.

Tandem si consideretur ipsa res acta, siue ipsa adoptio filiorum per gratiam, cum sit quoddam donum, quia aliter non esset gratia, quia Spiritus Sanctus, cuius est procedere, vt amor, & cuius est esse primum donum, quia ex amore omnia dona donantur, gratia adoptionis specialiter est à Spiritu Sancto.

Quantum ad
rem actam
adoptio competit
Spiritui Sancto.

Aduertendum tamen propter argumenta, quod adoptio filiorum non solum potest appropriari Filio quantum ad modum agendi, vel fiendi, quia Deus non aliter, quam dicendo facit, sed etiam potest appropriari Filio, quantum ad causam exteriorem, vt scripta communia tangunt. Nam Filius procedendo a Patre per naturam, est quasi quoddam exemplar, quod debent pro viribus imitari omnes filij adoptiui, qui sunt filij per gratiam, iuxta illud ad Rom. c. 8. *Nam quos præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri imagini Filij sui, vt ipse sit primogenitus in multis fratribus.* Est enim Dei Filius primogenitus, & hæres Dei per naturam, nos autem sumus cohæredes eius, & hæredes Dei per gratiam.

Notandum
pro solutio
ne argum
torum.

D. Thom.

Rom. c. 8.

RESP AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quod Deus misit Filium suum, vt adoptionem filiorum reciperemus, quia Dei Filius naturalis est causa exemplaris, cui debent conformari, & quam debent imitari omnes filij adoptiui per gratiam.

Auſtoritas
D. Pauli al-
ſata in arg-
intelligitur
de Filio Dei
vt est causa
exemplaris.
& ita dicitur
ad fecit
dum.

Et per hoc soluitur argumentum secundum, quia Filius Dei naturalis tanquam primogenitus est causa exemplaris, & etiam productiua omnium aliorum filiorum, quia eum debent imitari omnes alij filij adoptiui per gratiam.

Ad